

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

Rare Book
and Spec. Coll. Lib.

FAMA POSTVMA,

DE VIRTVTIBVS HEROICIS,

QVIBVS SERENISSIMA PRINCEPS AC DOMINA D.

MARIA

ARCHIDVX AVSTRIAE, RHENI PALATINA VTRIVSQVE BAVARIÆ DVX, ET SERENISSIMI QVONDAM PRINCIPIS AC DOMINI D.

CAROLI

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ DVCIS CONIVX, POSTEA VIDVA AVGVSTAM MEMORIÆ SEMPER FOELICIS IMMORTALITATEM VIVENS MORIENS MERVIT.

EMBLEMATE VARIO DIGESSIT, concinnauit, expoſuit Joannes Heumont Societatis JESV.

GRÆCII STYRIÆ,

Ex Officinâ Typographicâ GEORGII VVIDMANSTADII.

ANNO M. DC. IX.

SERENISSIMÆ PRINCIPI AC DOMINAE D. MARIAE ANNAE ARCHIDVCI AVSTRIÆ, COMITI PALATINÆ RHENI,

vtriuſq; Bauariæ Duci, &c. Sereniſſimi Principis FERDINANDI Archiducis Auſtriæ, Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ Ducis, &c,
Coniugi lectiſsimæ,

ET hanc corollam Sereniſſimæ Archiduci Mariæ debebat hoc Veſtrarum Serenitatum Græcenſe Collegium, quam nunc ad tholum fœliciſſimæ memoriæ Principis ac penè Parentis lubens appendit. Videlicet dum in arenâ certabatur, acclamationes quidem & plauſus identidem aliqui irritandæ potiùs, quàm ornandæ pro dignitate virtuti dabantur; legitimi ac pleni Pæanes non dabantur. Nam ſi laudari, *ait D. Ambroſius*, antè gubernator non poteſt, quàm in portum nauem deduxerit, quomodo laudabis hominem priuſquam in ſtationem mortis ſucceſſerit? & ipſe ſui eſt gubernator, & ipſe huius vitæ iactatur profundo. quamdiu in ſalo eſt, tamdiu inter naufragia. Dux ipſe, niſi confecto prælio non ſumit lauream, nec miles arma deponit, nec ſtipendij mercedem adipiſcitur, niſi hoſte ſuperato. *Hinc geſtientia pridem ſtudia noſtra aduerſus Archiducem, adeoq́; penè erumpentia vota paullùm cohibebantur; cum Virtutem illius maturam quidem, & fauente dudum cœlo albeſcentem; nondum tamen diuinâ falce ſucciſam à radice cerneremus. Sic quiſpiam:*

Nec dubito quin ſit; ſed me timor ipſe malorum
Sæpè ſuperuacuos cogit habere metus.

Enimuero, vbi Mors, quod ait idem S. Pater, ſtipendiorum plenitudo, ſumma mercedis, gratia miſsionis *eſt facta: Vbi Archiducem honorariâ piæ ac religioſæ Mortis miſſione, ad capeſſenda rerũ præclarè geſtarũ præmia vidimus in patriam euolaſſe, tum vero plena gratæ memoriæ vela, ſpirantibus officioſæ gratitudinis Eteſijs auidè laxauimus; & quam viuentis pudor non ferebat, laudis occaſionem totâ fronte arri-*

puimus. Atq; eâ ex mente, præclaras iam illas Archiducis defunctæ dotes, non verbis modo exornare, ſed & ſymbolis quoq; ſuis exſculptas atq; adumbratas, cum omnibus; tum veſtræ maximè Serenitati repræſentare voluimus ſuſpiciendas, venerandas, prædicandas. (Et habet hanc inter familiares alias ſuas laudes, V. Ser.tas quod hæc quanquam latina citra interpretem intelligat.) Porro vt hoc officij noſtri aduerſus Sereniſſimam Principem monimentum, Veſtræ Serenitati dicatũ eſſe vellemus, id effecit, quod Eam & ſtemmate, & nomine, & imperio, & loco, & virtutis exiſtimatione ſimilem adeo Archiduci defunctæ ſupparemq; intuemur; vt niſi Veſtram illi Serenitatem ſanguis propinquam, neceſſitudo nurum feciſſet; germanam, adeoq; ſolo penè natu minorem natura formaſſe videretur. Recognoſcat igitur in his Veſtra Serenitas, & placeat intueri quod antè placuit æmulari. Sed & magis ab hoc theatro. & D. Baſilio teſte, Beatorum hominum (*in quorum album quidni aſcriptam Archiducem piè credamus?*) vitæ memoriæ proditæ, tanquam ſimulacra quædam animata propoſita ſunt vitæ ad normam iuſtitiæ diuinæ, ijs quidem qui bonorum operum exemplaria imitari cupiunt. *Quemadmodum ergo expicturis imaginem ex imagine pictoribus, Idea quædam proponi ſolet, ad quam identidem reſpectantes lineamenta fingant, penicillum ducant, artem deniq; totam librent ac componant; ita illuſtre hoc Serenitas Veſtra ſpeculum habitura eſt, in quo varia ac multiplicia reperiat exempla, ad exprimendum ac efformandum illud virtutis ſimulacrum; quod non penicillo mortuum; ſed moribus viuum ac floridum exhibere Mundo meditatur. & gratius erit opinamur, in hanc domeſticam pergulam oculos animumq; conferre, quam à peregrinis alijs typis aut corporibꝰ, quod Zeuxis feciſſe ſcribitur, mutuari. Tantum beneuolè hoc accipiat, & quod in Suæ Serenitatis ſtudijs, in votis omnium ac expectatione eſt, viuentem ac ſpirantem Eccleſiæ, Suis, Prouincijs, Nobis deniq; ac Muſis Mariam reddat: quam ſublatam vix ſentiemus, ſi corpore diſſitam; virtute præſentem, in Serenitate Veſtra cernemus. Ex V. Serenitatis Collegio Græcenſi Societatis* JESV.

NEC IMBELLEM FEROCES PROGENERANT AQVILÆ COLVMBAM. *Horatius.*

EMBLEMA I.



PRogeniem cœli, [illegible]alia nomina Reges
Euehit auratis fama per aſtra iugis.
Regales Aquilas Honor his Auriga miniſtrat;
Euoluitq; ſacras Gloria dia rotas.
Te quoq; naſcentem Princeps hac pompa manebat,
Ne primos ageres ſors ſine luce dies.

Cæſa-

Cæſareorum ac regiorum natalium claritatem in Archiduce currus hic Iouis, & hæ Iouiales Aquilæ adumbrant. Res altius repetita ſic habet. Ab Ioue Reges oriundos canit Callimachus. Iouis alumnos Reges indigitat Homerus, imò verò ab Ioue Ioues olim Reges eſſe vocatos, vt à Cæſare Cæſares, ab Auguſto Auguſtos, à Pharaone Pharaones, memoriæ proditum eſt. Porrò Ioui Regum parenti & eius deinde Nepotibus, Aquilam Sacram, adeoq; Tonantis illius ac fulminantis armigerum appellare, iam olim vatibus ſolemne; hodiè quoq; receptum eſt. Variatur in cauſsâ. Vidi, qui perſpicaciſsimæ aciei ac perniciſsimo volatui id aſcriberent: vidi, qui ad rapacitatẽ referrent, nec longas modo hinc Regibus eſſe manus, ſed & vncos digitos indicarent: vidi, qui ad generoſitatem, vt ita loquar, alitis reſpicerent: vidi qui alia; quanquam omnes Regiam hanc auem habendam conuenirent. Ergò Regum Regi data, dicata, regijs Troianorum, Perſarum, Romanorum, multorum deniq; Regum ac Principum ſignis ac labaris militauit. His ergò ſublimè vectam Principem cum canit Poëta, Regij ſanguinis ac ſtemmatis celebritatem exornat.

Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeunt in ſemina cauſæ.
Quis venerabilior ſanguis; quæ maior origo
Quam regalis erit? non te priuata dederunt
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Auguſtis laribus.

Non inquam. Ideo nata eſt Sereniſsima Princeps Sereniſsimo Alberto IV. Comite Palatino Rheni, vtriuſq; Bauariæ Duce Patre, Matre verò Sereniſsima Annâ Archiduce Auſtriæ, Inuictiſsimi ac Potentiſsimi Romanorum Imperatoris, Hungariæ ac Bohemiæ Regis Ferdinandi filiâ, Maximiliani Secundi Romanorum item Imperatoris, eorundemq; regnorum Regis ſorore. Ita ex auguſto hinc Auſtriaco, inde ex antiquiſsimo Bauarico ſanguine oriunda Maria, veterem vtriuſq; gentis claritatem excepit; imò vero cumulauit. Auſtriacum ſtemma decem Romanis Imperatoribus, quaſi tot carbunculis, pluribus


multo Regibus ac Reginis velut vnionibus diſtinctum: Bauaricum item veterum Regum ac Cæſarum proſapiâ deductum, non exſcribo. Extant familiarum Sereniſsimarum ampliſsimæ Genealogiæ, in quibus tot Aquilæ in Cæſarum, Regum, Principum ac Prouinciarum gentilitijs ſignis volitant, quot euehendæ triumphali pompæ ſatis ſuperq; ſint. Neq; locum hic habet, quod Socrates Platonicus ait, eos qui ob ſeptem forte ex ſuis maioribus illuſtriores glorientur, ridiculos eſſe; vtpote, qui in antiquitatem non ſatis intendant aciem, reperturi aliàs illic & reges, & mendicos ſuos proauos. Non inquam, locum hic habet. Nam antè, omnium te ætatum memoria, & obſeruatio, & faſti, deficient; quam quicquam in his ſtirpibus obſcuritatis occurrat. Valeat ergò hoc ad naſcentis Archiducis commendationem, quod ad fœlicitatis opinionem valuiſſe ſemper plurimum accepimus; generis amplitudo. Valeat inquam eo magis, quo non auitam modo maiorum gloriam, ſed & Religionem & virtutem omnem, vno velut faſce complexa noſtra Princeps, quicquid in illis ad famam illuſtre fuit, noſtro ſæculo videndum retulit. Audiebat enim Hieronymum ſibi in Demedriade aures ita vellicantem; *Nobilitatis ad hoc tantum memineris, vt cum claritate generis morum claritate contendas, & cum nobilitate corporis animi virtute nobilior proficias, magisq; illâ nobilitate glorieris, quæ filios Dei & cohæredes facit Chriſti. Omnis ergò*, quod ait idem, *iſta præclari generis* (& Auſtriaci & Bauarici) *dignitas, & illuſtre auiti ſanguinis decus, ad animam transferantur*: & quandoquidem, *Hæc eſt indubitata nobilitas* Caſsiodoro teſte, *quæ moribus probatur ornata*, ad illos paulatim propiùs accedamus.

OMI-

OMINE QVO FOELIX ET SACER ANNVS EAT.

Tibullus.

EMBLEMA II.



VNa genethliacum Archiducis ſignauit honorem,
Et Mariæ nomen condidit vna dies.
Jlla dies, quâ nube leui veſtitur Apollo,
Et fit virgineo Spiritus umbra ſinu.
Jlla dies ſemper fortunatiſſima Mundo.
Nil niſi diuinum condere nouit opus.

Typo

TYpo hoc Archiducis MARIÆ Natiuitas illuſtratur. Incidit enim hæc in diem vt auguſtiſsimum religione, ita mortalibus vtilitate fœliciſsimum: Viceſimum inquã & quintum Martij, anno à reparatâ Salute Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo. Eo igitur die nata Princeps, quo, vt canit Mamertus,

Angelus alloquitur MARIAM, quo præſcia verbo
Concipiat, ſaluâ virginitate Deum. Eo, quo ſuperueniente Spiritu, & obumbrante Virginem Numine, *Verbum caro factum*: Sol juſtitiæ, cuius *nomen Oriens, ingreſſus eſt in Ægyptum in nube Leui.* Hoc eſt interprete D. Ambroſio, *in Virgine MARIA, quæ nubes erat ſecundum hereditatem Euæ, leuis erat ſecundum Virginis integritatem: Leuis erat, quæ non homini quærebat placere, ſed Domino: Leuis erat, quæ non iniquitate conceperat, ſed Spiritu ſuperueniente generabat, nec in delicto, ſed in gratiâ parturiebat.* Annon ergo raræ cuiuſdam fœlicitatis eſt, diem illum habuiſſe natalem, qui ob diuinorum beneficiorum magnitudinem ac religionem Eccleſiæ ſemper feſtus ac ſolemnis eſt; qui candidiſsimus ſemper atq; auſpicatiſsimus; cuius idem initium, quod humanæ reparationis eſt exordium; quo nihil niſi fauſtum fortunatumque (vt merito concludit Poëta) naſci potuiſſe videtur. Nihil igitur atri, nihil obſcuri, nihil ominoſi vel inauſpicati habet iſta Natiuitas, quam non fortuitus rapaciũ aliquot vulturum volatus, ſed ſacroſanctus diuiniſsimæ Columbæ aduentus atq; illapſus inaugurauit. In eâ itaq;, quam vocat Chryſoſtomus, *feſtiuitatum omnium Metropoli,* ipsâ Virginis Annunciatæ luce nata Princeps, ab eâ citra dubium MARIÆ quoq; ſortita nomen eſt; vt ſemper glorioſum, ita gratioſum. Ex quo etiam nomine perennes ac ingentes ſtimuli impreſsi ſunt generoſæ illi Archiducis indoli, ſatagenti ſemper atque allaboranti, vt non tam ab alijs accepiſſe id nominis, quam ſuis virtutibus ac meritis id ſibi proprium feciſſe videretur. Ita vulgatum eſt, quantos ad rem ſtrenuè gerendam ſpiritus, Venales

les illæ bellorum animæ perſæpe conceperint, cum glorioſæ cuiuſpiam ſuæ nomenclaturæ (vt ille Alexandri miles) admonerentur. Nec defuit tanti nominis omini Princeps, ſed Illuſtre illud ac Serenum (nam *Illuſtrata* MARIA) ac regium (nam & *Domina* MARIA) & integritate, & majeſtate egregiè ſuſtentauit. Iam ex eodem fonte ſingularis ille Archiducis cultus ac pietas aduerſus auguſtam Deiparam fuit: cuius quot ſunt religione ac ſanctimoniâ nobiles per orbem ædes (ſunt autem innumeræ) tot penè ſuâ munificentiâ coluit & ornauit MARIA. Teſtis in Bauariâ iam ab ipſis incunabulis Virgunculæ adhuc pietate ac ſtudijs cultus Mons, qui vulgo *Sanctus*, dicitur: Teſtis ibidem Oetinga, Virginis Matris præſidio ac beneficijs clariſsima. Teſtes in Styriâ Cellæ, quæ vocantur *Marianæ*. Teſtes remotiores illæ, & orbe toto ob beneficam Numinis præſentiam nominatiſsimæ, & *Lauretana Domus* in Italiâ, & *Montis ſerrati* in Hiſpaniâ, & *Chaſtocouiæ* in Poloniâ, & aliæ denique, quas illuſtribus ſuæ liberalitatis monimentis præſens, abſens Archidux illuſtrauit. Teſtes demum Religioſæ Partheniorum Sodalium Congregationes, vel quæ in Bauariâ, vel quæ Græcij inſigni pietatis commendatione florent. Hîc certè auguſtum ſuum nomen Princeps eſt profeſſa, hîc Sereniſſimos liberos cenſeri voluit, adeoq; magnâ voluptate præſidere vidit, hîc omnes Sodalium ſtatas ac ſolemnes religiones ita conſtanter & exactè tenuit, obiuit, excoluit, hîc tot ſuæ magnificentiæ pignora dereliquit, vt vel ab vnâ hac Mariani Sodalitij gratiâ, amore, cultu, MARIÆ nomen meruerit. Ergo auſpicatis Principis Genethliacis magno merito accinet nobiſcum omnis poſteritas:

Fœlix illa dies, totumq; canenda per orbem,
Quæ tibi vitales cum primùm traderet auras,
Contulit innumeras intra tua pectora dotes.

B BONA

BONA CVM BONA
NVBIT ALITE VIRGO.

Catullus.

EMBLEMA III.



CVm M*ARIAM* C*AROLVS geniali fœdere duxit,*
Adfuit, Ambroſio riſit & ore Venus.
Et ſimul, Ite inquit, geminæ mea cura, Columbæ,
Et Sponſam auguſto ducite more domum.
Duxerunt, & tanta fuit reuerentia Sponſæ,
Vt miſſâ, vellent Principis eſſe Deâ.

Dij Coniugales Iupiter Adultus, Iuno Adulta, alij; ſed illa maximè *Quæ dulcem curis miſcet amaritiem*, Venus: cui eâ de cauſsâ blandè Iupiter Homericus indicit, vt miſsâ bellorum operâ (quibus parum ſecundo ſuo Marte ſtuduerat) Nuptiarum ſatagat. Huic Deæ quanquam alios alij jugales alligent, Mythologiam tamen propiùs videntur attigiſſe, qui Columbam tribuerunt. In his Naſo, cui *per leues auras junctis inuecta Columbis* Venus memoratur. Mythologicè verò ac eruditè. Germana enim coniugij teſſera, geminæ Columbæ, Quid enim aliud par illud, quàm quod monet Propertius;

Exemplo junctæ tibi ſint in amore Columbæ,
Maſculus & totum fœmina coniugium.

Iam hoc, quod non promiſcuè maritantur, aut nubunt; ſed intra familiam, quid aliud niſi illud Pittaci;

Si qua velis aptè nubere nube pari.

Iam quod à thalamo jugali non peregrinantur amores, nonnè hoc eſt quod Virgiliana Pronuba repromittit;

Coniugio iungam ſtabili, propriamque dicabo?

Iam ingenua puritas, vt alterius thori ignara, ſic ſuarum amantiſsima deliciarum, nonnè coniugalis fidei ſuauitatẽ exprimit? Iam fœcunditas, quid aliud quàm Matrimonium, quod eo dicitur Auguſtino teſte, quod Mulier Mater fieri velit? Iam candor, & ſine felle ſimplicitas, Euangelio quoque laudata, quid aliud vult, quàm conſenſionem illam mutuam mentium quæ nullis querimonijs diuellatur? Quod & Græcorum inſtitutis laudatum accepimus, quibus vt in ſacris genialibus Victimæ fel abijcerent, ſolemne fuiſſe proditum eſt. Iam illa incredibilis aduerſus prolem Philoſtorgia, nonnè patriæ maternæq; charitatis luculentum habet ſymbolum? denique, mitto cætera, conſtans ille luctus, quẽ ſuperſtes alteri coniugi conjux thoro viduo ac frigente æternum impendit, quàm appoſitè teſtatur, quod *fortis eſt vt mors, dilectio*. quã verè atrata Columba ſuſpirat,

Ille meos primus qui me ſibi junxit, amores Abſtulit.

Atq; hæc omnia in Sereniſsimæ Archiducis nuptias dici poſsũt.

Talia connubia, & tales celebrant Hymenæos

Auguſti Principes, Sereniſsimus CAROLVS Archidux Au-

ſtriæ, Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Virtembergæ Dux, Tirolis & Goritiæ Comes, &c. FERDINANDI Romanorum Imperatoris, Hungariæ, Bohemiæ Regis, &c. filius. Sereniſsima item noſtra Archidux MARIA, cum viginti hactenus annos nata, inter patrios Bauariæ parietes in omnium virtutum ac laudum meditatione cultuque exegiſſet:


Qualis in vario ſolet
Diuitis Domini hortulo
Stare flos Hyacinthus.

Dignum igitur par, digna copula, & ſi florentem ac penè parem Conjugum ætatem ſpectes, jucunda: ſi ſuſceptos fœliciter liberos, fortunata: ſi charitatis coniugalis integritatem, ſi miram in omne decus animorum conſpirationem, celebris ac beata. Acta ſunt Nuptiarum ſolemnia, Epithalamium accinente Viennâ Auſtriæ, cœlo terráque vniuersè plaudente, Anno ſalutis humanæ ſeptuageſimo primo ſupra milleſimum & quingenteſimum, primâ ſeptembris. De quâ nihil aliud dicam, niſi digniſsimã illam vnam in paucis noſtrâ memoriâ fuiſſe diem, quæ Pelei & Thetidis Gamelijs conferretur; imò præferretur. Tanta, tàm illuſtria in has vniuerſas Prouincias beneficia ex fortunatiſsimâ horum Principum, & quaſi benigniorum ſiderum coniunctione redundarunt. Et ſanè ſi ij audirentur, apud quos ſolemne fertur, fortunatum demum ac fœlicem eum eſſe, cui ex animi ſententiâ vxorem ducere diuinitus indulgetur; ſi dandus inquam huic adagio locus eſſet, non vererer inter cætera Sereniſs. Archiducis CAROLI encomia hoc aſcribere, quod MARIAM ſuâ Domo, ac maioribus, ſuâ deinde virtute & gloriâ dignam coniugem ſortitus eſſet: nec ægre ferret Princeps ampliſsima ſuæ fœlicitatis emblemata Mariæ Coniugis ornari nomine, quod æternitate digniſsimum, conſtanti omnium ætatum prædicatione celebrabitur. Et hæc aliáq; meliora Nuptiarum Marianarum elogia, nonnè Columbas triumphali ſuæ memoriæ iure merito vendicant? Abi ergò Nuptiarum fœlix Princeps, & quam habuiſti comitem in terris, eandem vectricem inuenias in cœlis.

FOELIX IN NVMERO QVOQVE SVM.

Ouidius.

EMBLEMA IV.



C Ybele Deorum mater, & fœlix parens
Olympio, pelagi arbitro, & ſtygio Ioue,
Turres curules cum ſuis Leonibus,
Et reliqua honoris ſymbola remittit lubens
Fœlicitati Matris Auguſtæ, cui
Tot terra debet Principes, Diuos polus.

Cybe-

CYbeles mira in ſuſcipiendis liberis fœlicitas Poêtarum hiſtorijs celebratur. Iouem, qui cœlis, Neptunum, qui Oceano, Plutonem qui præſideret Inferis edidiſſe Saturno memoratur. Taceo ſorores, & cætera nugamenta. Huic igitur, quam & Magnam & Deorum Matrem, & varijs id genus titulis cohoneſtatam legimus, Turritus currus, aut turris curulis attributa. Vnde eſt hoc Parthenij vatis,

Alma parens Idæa Deûm, cui Dyndima cordi,
Turrigenæque vrbes, bijugiq; ad frena Leones.

Leones inquam, qui ad juga iuncti. Fabulam Poêtæ, myſterium euoluit Lucretius.

Adiunxere, inquit, *feras, quòd quamuis effera proles,*
Officijs debet molliri victa parentis.

Totum ergo curule Cybeles inſtrumentum ſeruiat, hoc quidem loco, ad eam, quam ευτεκνιαν Græci, Latini prolis ſuſcipiendæ fœlicitatem appellant, commendandam. Quandoquidem ab hâc & obſequia parentibus, & ciues vrbibus, & patriæ propugnacula ſtatuuntur. Quæ non modo Ariſtoteli cauſſa fuit, vt in cæteris humanæ fœlicitatis partibus caput hoc quoq; numeraret, verum & Regio Vati, vt in deſcribendâ mortalis adhuc viri iuſti beatitate, vt ita loquar, ciuili, *Vxorem vitis inſtar fœcundam* recenſeret, liberos quoq; circa menſam patriam, *tanquam nouellas oliuarum* componeret. Enimuero quantacumque ea fœlicitatis eſt portio, eam planè diuinitus nacta videtur Archidux. Sereniſsimo ſuo Coniugi proles fœliciter enixa eſt quindecim. omnium functorum æquè ac ſuperſtitum nomina:

Qualia contexunt amaranthis alba puellæ Lilia, percenſeo.

I. Ferdinandus, qui & anniculus mortuus. II. Ser.^{ma} Anna Regina Poloniæ defuncta Anno Dñ. 1598. III. Ser.^{ma} Chriſtierna, in religioſo iam Halenſi receſſu degens. IV. Catharina Renéa Virgo vndeuiginti annorum defuncta. V. Eliſabetha quæ nono Virginitatis ſuæ Anno mortua. VI. Sereniſsimus FERDINANDVS Archid. Auſtriæ, Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comes Tirolis hodiè regnans. VII. Carolus anniculus extinctus. VIII. Gregoria Maximiliana ætatis anno de-

no decimoſexto defuncta. IX. Ser.ma Leonora Halæ quoq; Deo ac ſibi vacans. X. Ser.mus MAXIMILIANVS ERNESTVS A. Auſtriæ &c. XI. Margareta Hiſpaniarum hodie ac Indiarum Regina. XII. Sereniſs. ac Reuerendiſs. LEOPOLDVS Arch. Auſtriæ, Argentinen. & Paſſauienſis Epiſcopus. XIII. Ser.ma Maria Magdalena Magna nunc Dux Hetruriæ. XIV. Ser.ma Conſtantia Poloniæ hodie Regina. XV. Sereniſsimus ac Reuerendiſs. CAROLVS Archidux Auſtriæ Epiſcopus Vratiſlauienſis. Annon ergò iuſto ac legitimo tam multiplicis atq; illuſtris prolis pignore deuincti merito, ac

Juncti currum Dominæ ſubiêre Leones? Habuit opinor, Ser.ma quod Principibus alijs fæminis aurum, gemmas cæterumq; mundũ muliebrẽ oſtentantibus componeret domeſtica hæc gentis Cæſareæ fulcra, vel ornamenta. Habuit quod cũ Sparthanâ illâ Heroinâ, itemq; cũ Corneliâ Romanâ diceret: *Hic vero meus eſt ornatus.* annon inquam, locuples & ſpecioſus? *fœlix in numero quoque ſum,* liberorum jactabunda quædam apud Ouidium inclamat; quid ad Archiducem? Ergo ſi præmia quondã connubiorum fœcunditati Roma dedit, ſi ius trium liberorum immunitatis nomen eſſe voluit, ſi inter Laconas grauiſsimos viros, ijs maximè honos eſt habitus, qui & ætate Rep. ornarent, & prolis eam numeroſitate fulcirent, ſi demũ cultæ omnes gentes ac populi patriam ciuibus auctam maximè cupierunt; quid de eâ Principe cenſendum, quæ tot nõ ciues; ſed Principes orbi Chriſtiano peperit! Certè quantum vel ab vno FERDINANDO Archiduce, qui noſtrarũ hodie Prouinciarum potitur, ad maternã commendationem accedat, Plinianis malo, quàm meis verbis attexere. *In Principe,* inquit ille, *qui electo* (quidni & genito? *Succeſſore fato conceſſit, vna, itemq; certiſſima diuinitatis fides eſt, bonus ſucceſſor.* Hæc perpende, facileq; ſtatues, & Metellũ, quẽ à neſcio quot filijs Conſularibus ac Triũphalibus viris elatũ extollunt, & alios, quos de liberorũ fœlicitate commendant, Mariæ longè lateq; concedere, vt quemadmodum,

Dente premunt domito Cybeleia frena leones, ita Marianas quadrigas ad immortalitatis Acropolim euehant.

ET

ET DOCVMENTA DAMVS QVA SIMVS ORIGINE NATI.

Ouidius.

EMBLEMA V.



GEnuiſſe paullùm eſt, excolat pullos parens,
Remigibus alis æquor æthereæ plagæ
Tranare doceat, Solis aduerſas faces
Oculo irretorto ferre, & inter fulminum
Brutos tumultus, inter & Iouis minas
Locum tenere: doceat hæc, parens erit.

Non

NOn ſatis orbis Vniuerſus Archiduci debuiſſet, niſi quemadmodum multos, ita optimos Principes ei debuiſſet. In quo adhuc controuerſum eſt, majórne Mariæ ſolicitudo; an fœlicitas extiterit. Cum enim vulgò (vt ſapienter notauit Chryſoſtomus) *corpus natorum ſuorum amare, animam autem ſoleant matres contemnere*; hæc in liberorum mentibus ad omnem probitatem efformandis tota incubuit. Itaque veſtigijs optimi maximi Parentis inhærens, frequèns illud Moſaicum repetebat, ſemper actitabat: *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum atq; portauit in humeris ſuis.* Exemplo videlicet domeſtico, & inſtitutione familiari, & quotidianis curis, & adminiculis deniq; maternis omnibus ſuos ad veram Virtutis lucem aſſuefaciebat. Probè gnara erat, parum hoc ad ſinceram ſolidamque laudem pertinere, quod cum filiolis in arundine longâ Socrates equitaſſet, quod Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex cum liberis ad nuces & puerilia crepundia redijſſet, quod Cæſar Auguſtus nepotes imperij Principes natitare, ſcribillare, & nugas id genus docuiſſet: non æmulabatur. Audiebat Chriſtiana Princeps Chryſoſtomum grauiter admonentem, *Caue ne filius tuus, qui templum eſt* D E I, *fiat ſpelunca latronum, fit autem latronum ſpelunca, cum patimur illiberales ac ſeruiles concupiſcentias intrare, ſedemque figere in adoleſcentulorum animis.* Audiebat & Hieronymum de filiâ ſeuerè præcipientem: *Caue ne aures eius perfores, nec collum auro aut margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.* Audiebat alios alia ſanctiſsimè in hoc genere ſtatuentes, &, Verum ipſum teſtor, audita ad amuſsim exequebatur. Meminerunt hæc Sereniſsimi, quorum magno bono, alij item quorum miraculo heroicæ illæ Matris curæ etiam hodiernâ die celebrantur. Sed opinor, ſolidam hanc laudem ſibi vendicare volebat Princeps, vt quicquid poſtmodum virtutis, & exiſtimationis, & gloriæ in Sereniſsimis his Principibus admiratione atque approbatione mortali-

talium efflореſceret, totum id ſecundum Deum, vni matri ferretur acceptum. Cum verò tritum illud adagio etiam noſſet:

A teneris aſſueſcere multum eſt, (quod vt *aqua*, inquit Hieronymus, *in areolâ digitum ſequitur præcedentem, ita ætas mollis ac tenera in vtramque partem flexibilis eſt, & quocumq; duxeris ſequitur*) hinc factum eſt, vt exiguæ adhuc ætatulæ, ſed iam indolis eximiæ filios Principes quatuor Religioſis Societatis IESV Patribus maturè commendatos, rectâ ac ſanctâ Numinis religione imbui, litteris excoli, Regijs denique alijs omnibus artibus per grauiſsimos alios morum Cenſores informari vellet. Nec ſegnior in Sereniſsimas, aut remiſsior impenſa cura. Et hinc continuò, ſeria illa ac conſtans à Diuorũ cereis ad Mineruæ lampades, à ſacris pietatis Chriſtianæ puluinaribus ad eruditionis Muſea ſucceſsio. Hinc germana, familiariſque totius huius Domus pietas, integritas, virtutis demum omnis abſoluta atque expolita diſciplina. Hinc rudimenta illa & ſemina, quorum flores ac fructus gratulabunda iam præcerpit Eccleſia: In Sereniſsimo quidẽ ac Reuerendiſsimo Archiduce LEOPOLDO Argentinenſis & Paſſauienſis: In Sereniſs. ac Reuerendiſs. Arch. CAROLO Vratiſlauien. Epiſcopatus: In Sereniſs. CHRISTIERNA & LEONORA Archiducibus Religioſus ſeceſſus Halenſis: In Sereniſsimis FERDINANDO & MAXIMILIANO Archiduc. Styria, Carinthia, Carniola: In alijs Sereniſs. ſororibus Heroinis Hiſpania, Polonia, Hetruria: quæ Prouinciæ, cum Principũ huius Domus pietatẽ nuper, vt oleum camino affuſum vſu ipſo & conſuetudine hauſiſſent, nouâ pietatis luce effulgeſcere atq; exardeſcere viſæ ſunt. Taceo reliquas qua publicas, qua priuatas dotes, quibus qui fruuntur ſingillatim magno plauſu ſuis acclamant Principibus,

Fœlices, qui te talem genuêre parentes. Et rectè, nam quantus, quàm ſublimis atque arduus harum Aquilarum nixus, tantus à Matris ductu atque auſpicijs domeſticis eſt.

ET PACEM PROPRIA DOMO REPONIT.

Statius.

EMBLEMA VI.



SI qua fuit terris ætas Saturnia, ſi quis
Integritatis amor, ſi qua pudica fides:
Hæc, Domus Archiducis coluit. voluiſſet & orbem
Moribus his totum viuere; fata vetant.
Ergò polum Saturninis inuecta quadrigis,
Aurea quando illic ſæcula certa, petit.

Nihil

NIhil æquè notum; lippis etiam & tonſoribus ac Saturnia tempora, quæ aureo metallo conflata, melle paſsim ac lacte manaſſe Poëtæ, Moſaici Paradiſi ſimiæ, cecinerunt. Quanquam æui illius fœlicitatem, non ex eo maximè metiendam arbitror, quod

Ipſæ mella dabant quercus, vltroq; ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis opes:

Verum ex eo, quod eâ tempeſtate

Juſtitia cælo miſſa, cum ſanctâ fide
Terras regebat mitis, humanum genus
Non bella norant, non tubæ fremitus truces,
Non arma gentes cingere aſſuerant, ſuas
Muris nec vrbes, peruium cunctis iter,
Communis vſus omnium rerum fuit.
Et ipſa tellus læta, fœcundos ſinus
Pandebat vltro, tam pijs fœlix parens,
Et læta alumnis.

Ab hoc enim juſtitiæ ac integritatis regno fœlicitas, quod præclarè Macrobius. *Mali*, inquit, *neſcia & adhuc aſtutiæ inexperta ſimplicitas, nomen auri in primis ſæculis præſtat.* Et nunc hoc argumento Oeconomicam Archiducis gloriam adumbrat Poëta. Cum enim vnius Dei id eſſe videret MARIA, vt eam aurei ſæculi fœlicitatem orbi referret vniuerſo, eius tamen imaginem in ſuâ familiâ, maximè vero in Gynæconitide exprimere contendit, vt de eâ verè dici poſſet,

Credo pudicitiam Saturno Rege moratam
In terris, viſamq; diu:

Idq; tanto maiore cum admiratione & commendatione, quanto difficilius eſt inter deliciantis aulæ pompanne an tumultum? lemniſcatam integritatis palmam infractã retinere. Quid enim

magnum, aut mirum fuit, eam tunc pudoris famam viguiſſe,

cum frigida paruas
Præberet ſpelunca domos, ignemq́, laremq́,
Et pecus & dominos, communi clauderet umbrâ?

Hoc illuſtre, hoc aureis gemmeiſq; notis dignum, tantum in vnâ noſtrâ Heroinâ virtutis induſtriæq; fuiſſe, vt in ampliſsimo ſuo Parthenone, ætate, formâ, opibus, delicijs, omnibus deniq; nominibus regium planè in morem florente, inuiolatam integritatis exiſtimationem poſsideret: eamq; tantam, quantam vix inter paupertatis incunabula, in ipſis humanæ naturæ rudimentis ſæcula illa fœlicia meruerunt. Sed ſcilicet hoc quoque loco diuinum quoddam erat Archiducis *Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.* Rei claræ, nullius lucis indigæ, facem nullam accendo. Domeſticam diſciplinam inſinuaſſe ſatis eſt, &ad famam ipſam prouocaſſe, quæ alumnas huius Domus Matronas tam prolixè ſimul ac gloriosè ſemper eſt proſecuta, vt is ſe Iunone ſecundâ, reliquiſq; Genialibus Dijs fauentibus duxiſſe crederet, qui ex hac Palatinâ familiâ domum duxiſſet vxorem. Ex eâ, inquam, quæ


Fœlix, ſimplexq́, domus, fraudumq́, malarum
Inſcia, & Hoſpitibus ſuperis digniſsima ſedes.

Ac in vniuerſum hoc affirmari poteſt, tantum abeſſe vt vulgatum illud *Exeat aulâ qui volet eſſe pius,* locum hic habuerit, vt è contrà, quanto ſe quis penitius in hos parietes inſinuarit, tanto maiorem ſinceræ virtutis exiſtimationem etiam in hodiernum diem teneat.

FONS SACER, HVNC MVLTI NVMEN HABERE PVTANT.

Ouidius.

EMBLEMA VII.



Mitte peregrinos Alphei dicere lapſus,
Plaudere delicijs mitte Arethuſa tuis.
Nectareas nouus, en cœlo fons lacteus vndas
Mittit, & ambroſiâ ſidera lactat ope.
Sic decet. æthereâ manalis origine tandem
Nunc repetat venam cœlica lympha ſuam.

IN

IN fidem ac Religionem Archiducis ſcriptum eſt. ac ſymbolum ipſum ſeruator apud D. Ioannem ſuppeditauit. *Qui biberit ex aquâ quam ego dabo ei*, inquit, *non ſitiet in æternum; ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Et ſanè in Archiduce hic fidei

Fons erat illimis, nitidis argenteus vndis,
Quem neq; paſtores, neq; paſtæ in monte capellæ
Contigerant, aliudue pecus, quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapſus ab arbore ramus.

Pura omnia, ſincera, illibata, etiam ſi placet in hoc genere, tenera ac delicata. argumenta adeo multa ac magna tenentur, vt referre qui velit, idem velit Soli lumen afferre. Hoc nobile ac publicum, Diuinarum ædium aſsidua celebratio: ad ſacras aras diuturna palam adgeniculatio; ſupplicationum ſolemnium quotidiana penè deductio: in quibus ita cum liberis Sereniſsimis aderat, vt Auguſto ſuæ pietatis exemplo commoueret vniuerſos. Rectè enim Velleius: *facere rectè ciues ſuos Princeps faciendo docet*. Enimuero ſolemnibus illis ſtatiſq; diebus, quibus Sacroſanctæ Euchariſtiæ pompa circum vrbem, & per compita traducebatur *Ibat, eratq; decus pompæ comitumq; ſuarum*, non majeſtatis amplitudine; ſed pietatis, quam tantam ſolita eſt, & ferre præ ſe, & vero à ſuis exigere, vt vnicum hoc ſpectaculum, à peregrinis miraculum, à vulgo ſtuporem, à pijs lacrimas, à ſequioribus etiam approbationem extorqueret. Placet etiam verbum aureo ore digniſsimum, in immortalis memoriæ tabulis adamante ſignandum adijcere. Mouebatur olim à nonnullis res quæpiam non magni omnino momenti, ea tamen ijs qui religionis orthodoxæ nomen & exiſtimationem integram vellent, offenſionem non obſcuram erat paritura. Mouebatur, inquam, adeoq; nihil propius aberat, quàm vt actus ille Catholicis parum oportunus aduerſæ factionis poppyſmate ac omnibus elicijs artibus exprimeretur. Quid Archidux? obijcit ſe tan-

quam *aheneum murum pro Domo* D E I, & cum imperio non poſſet, opem à conſtantiâ magnanimè mutuatur. Sanctè igitur ac grauiter, palam etiam affirmat, ſeſe potius compoſitis in corbem dorſuariam liberis, ijsq; in humeros aſſumptis auitas Bauariæ terras repetituram, etiam ſolam, quàm vt aliquid conſciſceretur admitteretur ue, quod amantes integritatis Catholicæ offenſiunculâ vllâ perſtringeret. Bonum vero verbum, neq; fide magis ac religione, quàm conſtantiâ bracteatum! Sermo

Laureâ donandus Apollinari! nam
Jngenitæ ſtat nobilitatis in illo
Pulcher honos & digna ſuis natalibus ora.

Et fons iſte tanto impetu ſaliens de Libano; imò de cœlo; non fieret in Principe *fons aquæ ſalientis in vitam æternam?* Sanè quod verè ſeu falſo à Pauſania, itemq; à Poëtis jactatum eſt, Alpheum Elidis in Peloponneſo flumen, amore Arethuſæ Syracuſani fontis tactum, in patriâ ſeipſum ſepeliſſe, ac longis inde cuniculis

Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur undis,

(Vbi ſcilicet in Arethuſam erumpit) quod inquam factum, fictumne illic, verè huc tranſlatum eſt à Poëta, cum ait; fontem hunc Marianum exilire in cœlos, & cœleſtis ſuæ memorem originis, quæritare illic *Antiquum Dierum* Deum, *à cuius facie*, inquit Daniel Propheta, *fluuius igneus rapidusq; egrediebatur.* Atq; eo quidem fluuio (ſeu cum Boëtio. *Boni fontem lucidum* mauis appellare) MARIAM immerſam plane atq; abſorptam eſſe, pio creditu digniſſimum eſt.

IAM

IAM SOLE INFVSO IAM REBVS LVCE RETECTIS.

Virgilius.

EMBLEMA VIII.



IVngite Phœbeos Horæ, temone jugales,
Jungite, Styriacis lux reuehenda plagis.
Jam data Styriacis, lux aurea jam data terris,
Nox quoque ſub ſtygium iuſſa redire chaos.
Jungite Phœbeos bijuges, lux aurea Mundo
Sat dedit, in patrias jam parat ire domos.

Tribui-

TRibuitur hic Archiduci currus ſolis, qui *lucis quæſtor, dici promus & condus*; quoniam vt canit Venuſinus, *curru nitido diem promit & condit*. Quamobrem Claudianus apprecatur;

Sol qui flammiferis mundum complexus habenis
Voluis inexhauſto redeuntia ſecula motu.
Sparge diem meliore comâ, crinemque repexi
Blandius elato ſurgant temone jugales,
Efflantes roſeum frenis ſpumantibus ignem.

Neque vero ignem ſolum, ſed & huius diurnæ lucis faces, nec paucas, nec obſcuras, & hinnitu & ſpiratu jugalium illorum ſolarium euibrari proditum eſt. Hæc igitur Principis *arma, hic currus fuit*, hi equi Auguſtæ Archiducis, quæ prouincijs hiſce diem plurimum accendit Quanquam enim Catholicæ religionis lucem non intulit MARIA in Styriam, Carinthiam, Carniolam maritales prouincias; inuénit tamen (vt venia ſit veritati, exiguam illam atque afflictam. Sanum caput, Princeps Catholicus CAROLVS Archidux, præter illum verò; imò cum illo, *Pauci nantes*. Procerum corpus penè totum lues corruperat, plebeculã inuaſerat. Emerſerat enim irato nuper cœlo de Tartari faucibus virulẽtá peſtis Hæreſis, ſeſeq; paſsim jactabat;

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis nouus exuuijs (Arrianis, Neſtorianis,
Pelagianis) *nitidusq, juuentâ* (Lutheranâ, Caluiniſticâ)
Lubrica conuoluit ſublato pectore terga,
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis:

Vt nec cœlo, nec ſolo, nec inferis parcat. Ab hâc ergò peſte nihil tutum, nihil ſanum. Species vbique in vrbibus, in opidis, in pagis ac vicis,

Quæ macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domeſtica febris.

Græcium, quæ vrbs caput ac Princeps prouinciarum, eo ita morbo attritum, vt pauciores Catholicorum familias numeraret, quàm *diuitis oſtia Nili*. Denique cimmeriæ vbique tenebræ. Sed miſertum eſt diuinitus. Et quemadmodum olim per Chrotildem Burgundam Francos, per Ingundem Françam Gothos, per Theodelindem Boicam Longobardos ad lucem Chriſtianam adduxit, ita prouincias haſce ad Catholicorũ do-

gma, per noſtram hanc MARIAM item Boicam, magnâ ex parte reuocandas ſanxit DEVS. Ducit hoc fato coniugem MARIAM CAROLVS Archidux, in Styriam adducit. Tum verò

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena roſarum
Atria, diffugiunt ſtellæ

(Et ſidera illa errantia, quibus præcone D. Iuda Apoſtolo, *procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum*) *quarum agmina cogit Lucifer* (ſtygius, non æthereus) *& cœli ſtatione nouiſſimus exit*. Quin etiam à tam jucundo crepuſculo effulſit ſenſim Orthodoxorum, quæ ſola iuſtorum ſemita, creſcens vſq; in plenum diem.

Qualis vbi oris aurei Sol radiantibus oculis
Luſtrauit æthera album, ſola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis vmbras vegetis ſonipedibus.


Denique ſtat dies ille ac religionis Romanæ ſplendor, ad quem hodiè piorum oculi ſupra modum recreantur. Atque in eo omni fructu ſerendo, vt nihil dicam amplius, Archidux ſane noſtra, pars magna voto, ſuaſu, conſilio, ope, authoritate, modis denique omnibus fuit, egregiamque hoc munere DEO atque Eccleſiæ nauauit operam. *In hoc enim*, ait Auguſtinus, *ſeruiunt Reges* (& Principes) *Deo, ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant: non ſolum quæ pertinent ad Societatem humanam, ſed quæ ad religionem diuinam.* Hanc ſeruitutem igitur, hoc obſequium Princeps debitum Deo ex aſſe perſoluit. Quo factum illud quod nótat Bernardus: *Dum ſtrenuus miles ſeſe pro ſuis in periculum mittit, dum pauliſper retardare nititur inſequentes, ſuos vero quos valet, erigit corruentes, reuocat fugientes; fit plerunq; vt in manu forti tàm gratam, quàm inopinatam obtineat ſalutem ſuis, hoſtibus confuſionem, fugant tandem quos fugiebant* (vidimus hoc tecum Archidux! vidimus, & vix credidimus) *ſuperant quos penè ſuſtinebant victores, & qui prius periclitabantur de vitâ, poſtmodũ exultant & de victoriâ.* Hæc inquam Victoria, hic rei Catholicæ triumphus, quem molitus Archidux CAROLVS, deduxit Sereniſs. FERDINANDVS, MARIA huius parens, illius coniux adeo adjuuit & ornauit, vt eius meriti gratiâ, à pijs omnibus Triumphalis illi *Lucis Currus* deſignetur: qualis ille Phœbeus, cuius

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

D COL-

COLLVCET POLVS IGNIBVS, NIHILQVE OBSCVRÆ PATITVR LICERE NOCTI. *Statius.*

EMBLEMA XI.



ILla ego, cui tenebræ, cui tæda Diania cedit,
Jlla ego, quæ mediâ vindico nocte diem.
Jlla ego, Veſtali longè diuinior igne,
Doctáque ſidereis aduigilare choris.
Cui ſuperûm ambroſiæ ſtillant in pabula guttæ,
Flammaturque ipſo Numine clarus apex.

Mo-

MOnuit grauiter ſuos Chriſtus, vt *lucernam ardentem haberent in manibus*, eaque inſtructi, vetere celebratoque Regum ac Principum excipiendorum more, Dominum multo cum lumine præſtolarentur aduentantem, acciperent, deducerent. Audierat hoc frequẽns Archidux. Sed & illud quod in *Mulieris fortis* elogijs recenſetur: *Non extinguetur in nocte lucerna eius*. Quid ergo? ſtatuit vt in cæteris, ita hoc in genere Heroidem illam ſibi æmulandam. Lucernam eo ſibi artificio adornari mandat, vt lumen in ipsâ citra operæ cujuſquam, aut manus adminiculum, etiam ſine periculo pernoctaret. Quorſum inquis? Dico. Ardens adeo in Principe Numinis ritè ac diu comprecandi ſtudium ſemper viguit, vt id neque de die exhauriri, neque de nocte poſſet extingui. Quotidianum erat matutinis duarum vel amplius, horarum precibus Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium anteuertere, illi deinde religioſo intereſſe; & id offerebatur quidem ex more ter dietim; niſi forſan itineris difficultas rem ſacram bis dumtaxat celebrari pateretur. Succedebat lectio librorum piorum Principi familiariſsima æquè ac jucundiſsima, etiam inter Epulas, cum corpus priuatim curaret. quod Barbaris quoque Principibus Oſmani, Vrchani, Murati Turcis non vſui modo, ſed & laudi fuiſſe legimus. A prandio diſcuſsis negotijs ſtata ac dilucida redibant orationum interualla. Ad noctem quid? Non equidem illa Didonianæ Aulæ lumina: vbi

Dependent lychni laquearibus aureis,
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina grauem gemmis auroque popoſcit,
Impleuitque mero pateram. Non inquam, non hæc

Cereris & Bacchi peruigilia; ſed *noſtra Lucerna*, & cum illâ Litaniæ Diuorum, præteritæ diei diſcuſsio, precationes aliæ ex propriâ Principis religione aſſumptæ, piæ atquè ac diuturnæ. Inde verò conticinium noctis & quietis; Tenebræ vero nunquam. Peruigilabat enim conſtans *noſtra Lucerna* apud inimicam tenebrarum, lucis amantiſsimam Archiducem, peruigi-

labat, & in illis Marianis penetralibus referebat

Phœben imitantem lumina fratris

Semper, & in proprio regnantem tempore noctis. Nec tamen oleum & operam perdebat fœlix hæc adminiſtra pietatis. Nam vbi *Cuncta per & terras, & lati ſtagna profundi*

Condiderat ſomnus, poſitoque labore dierum,

Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat: Vbi hæc inquam, expergiſcebatur de more Archidux, & mox ad libellum precarium; qui ſemper ad manus, & ad oratoriolum, quod lateri imminebat. Hinc vota, hinc gemitus, hinc preces, hinc ea quorum fidelis illa *Lucerna*, & taciti parietes, & muta noctis ſilentia conſcia ſunt; quæ propterea quod nos fugiunt tacere cogimur; ſuſpicari poſſumus. Certè Principem Romanam ſimili religionis nomine predicat D. Gregorius, diſerteque narrat, quemadmodum in pio huiuſmodi peruigilio intempeſtâ nocte, cum ſalutis Euangelio Diuus Petrus eidem ſeſe *Obtulit & purâ per noctem in luce refulſit.* Age ergò celebres illas Lucernas & Ariſtophanis, & Cleanthis, & Epicteti, & neſcio quorum aliorum ſæculi ſapientum infuſo ſtudioſæ commendationis oleo accendant, attollantque alij: extollant & Theodoſium Orientis Imperatorem, qui ad ſuas Hiſtoricas lucubrationes eodem ingenio, eadem in ſuos humanitate, quâ Archidux, ſimili denique lucernâ vſus eſt: Sanè, ſi quid rectè judico, omnibus ijs Marianæ lampadis jubar eo præclarius atque illuſtrius videri debet, quod non ad eruditionem profanam aut inanem, ſed ad ſolidam Chriſtianam pietatem Principi noſtræ præluxerit. Vige igitur *Auguſta Lucerna*, & religionis ſplendorem tui admiratione ſimul ac imitatione vbiq; accende, tanto omnibus alijs ſanctior ac celebrior:

Quanto ſplendidior, quàm cætera ſidera fulget

Lucifer, & quanto quàm Lucifer, aurea Phœbe.

HAS DVLCES EPVLAS, HÆC PABVLA NOVIT, HINC PROPRIAS RENOVAT VIRES.

Claudianus.

EMBLEMA X.



DIuinos manibus fructus legiſſe beatis
Jam juuat, & ſanctam his ſæpe leuaſſe famem.
Jam juuat auratâ Vitæ ſeſe arbore totam
Impleſſe: hinc vitæ ſtat rediuiuus honos.
Vt me, vt ſi quando fieri contingat Echinum,
Sub malo hâc ſpinis aurea mala legam!

VSum frequentem ac religioſum diuinorum Eccleſiæ myſteriorum, maximè vero Sacroſanctæ Euchariſtiæ Agalma hoc, Arboris vitæ indicat. *Lignum vitæ,* inquit Auguſtinus, *Sanctus Sanctorum Chriſtus*: cui tantum concedunt alia Paradiſi ligna,

Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ,
Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis.

Subſcribit Bernardus: *Non comparabuntur huic omnia ligna ſyluarum, quia ſint arbores pulchræ & magnæ, quæ opem ferre videantur orando, miniſtrando, docendo, exemplis juuando: Solus tamen Dei ſapientia Chriſtus, lignum eſt vitæ fidelibus.* Itaq; (quod Hieronymus, *ſicut in medio Paradiſi lignum vitæ erat, ita per ſapientiam Dei, videlicet Chriſtum, viuificatur Eccleſia: cuius & nunc Sacramentis carnis & ſanguinis pignus vitæ accipit, & in futuro præſentis beatificatur aſpectu.*) Arbor vitæ Chriſtus in Euchariſtia. Vitæ vero immortalis & æternæ: Nam

Pigra per hunc fugies ingratæ flumina lethes,
Et meliore tui parte ſuperſtes eris.

Horum tandem omnium Archidux apprimè callens, mirum eſt quanto, quàm diuino cultu auguſtiſsimum hoc Myſterium complectebatur. Germanam Rudolphi I. gentis Auſtriacæ conditoris ac Romanorum Imperatoris prolem tanto poſt interuallo cognoſceres: cujus Herois inter eximias alias virtutes, ea eſt immortalitati litteris ac memoriâ omnium commendata, quod incredibili religione ſacroſanctam Euchariſtiam coluerit. Quâ etiam ex religione, ſi piorũ audiuntur coniecturæ, Auſtriacorũ

Genus immortale manet, multoſque per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.

Vt vt ſit, maiorũ non diſsimilis Archidux in diuiniſsimæ huius Arboris ũbrâ plurima ſolebat eſſe (qua de cauſsâ quoq; in Sodalitiũ quod auſpicijs ſacroſancti Corporis Chriſti Græatij ſolemne eſt añumerari voluit) eius vero myſterij aſpectum non aliter ſemper expetebat, quàm anhelus aliquis peregrinus amat

Æſtibus in medijs vmbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacrâ nemus accubet vmbrâ.

Neq; tamen vmbrâ hac dumtaxat ad pietatis refocillationem Princeps vtebatur, ſed & in religionis alimentum auide fructꝰ

expetebat. Singulis enim quibuſq; diebus dominicis noxas rite confeſſa, ſacrã Synaxin inſtituto non religioſo magis, quàm cõſtanti celebrabat. Vt omittam intercurrentes Diuorum nominatiorum identidem vertente anno celebrabitates, quibus non eandem ſacræ Exomologeſeos ac Communionis obire religionẽ religioni ſibi ducebat. Iam vero & Sereniſsimos liberos, vbi primum per ætatem licebat; *myſtica illi menſa* admouebat, vt maturè ad eandem pietatis palæſtram aſſueſcerent:

Qualis Parnaſſia Laurus
Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbrâ.

Sed & vniuerſum illum Aulæ ſuæ familiarem populum, quàm frequenter eius *diuini panis* participem fieri ſtudebat. Norat enim palmarium hoc inter cætera, diuini huius myſterij elogiũ eſſe, quod hominis Chriſtiani *Sacrum Viaticum* dicatur, & vero ſit. Itaq; quemadmodum tradunt Phyſici Erinaceũ mirâ animi ſagacitate maturè ſibi penum in imminẽtẽ hyemem inſtruere, ſeſeq; ideo per humi palantia poma volutare, & infixis ſpiculis ea corradere & contrahere, tũ demũ ea in domeſticũ commeatũ conferre, ita ſtatuebat ſolertiſsima Princeps ſibi ſuiſq; *vitalis huius arboris* fructus copioſè comportandos, atq; domi vt ita dicã, exaggerãdos, eoq; vnico certiſsimo pietatis & virtutis omnis alimento viam ſanè, quàm ad mortẽ currimus, ſuſtentandã atq; muniẽdã. Hem! quàm jucũdũ fuit hoc pijs olim ſpectaculũ, cũ præeunte ad *diuinum hoc epulum* Sereniſsimâ noſtrâ, liberiſq; vnà comitãtibus, ſuccederet deniq; prolixo ordine Aula vniuerſa:

Veluti ingentem formicæ farris aceruum
Cum populant, hyemis memores tectoq; reponunt,
It nigrum campis agmen, prædamq; per herbas
Conuectant calle anguſto.


Hoc inquam, ſpectaculum Chriſtianæ pietatis theatro dignum fuit, in quo vt primarum partium, ita & primarum palmarum erat Archidux. Quamobrem optima merito ſpes eſt, eam ad vitæ prouinciam euolaſſe, ad *terram* dico *viuentium*, quæ vitæ pabulo tam auidè ſemper ac religioſè veſcebatur, vt verè ſapere videretur illud, quod in hoc auguſtum myſterium oraculo dictum eſt: *Panem eſſe Aſer, panem pinguem, qui delicias præbeat Regibus*: : qui vtinam multi!

O VTI-

O VTINAM POSSEM POPVLOS REPARARE PATERNIS ARTIBVS.

Ouidius.

EMBLEMA XI.



ECquis Arionio dignus conſidere curru?
Ecquis cyaneis Tethios ire rotis?
Vna ea, quæ Chriſto iamdudum Pronuba mentes
Humanas omni conciliauit ope:
Optatos eat in portus, pelagoque fauente,
Delphinas cœli ponat in axe ſuos.

Singu-

Singulare in hominibus Chriſto conciliandis, à ſingulari hominum charitate profectum ſtudium Archiducis extollitur. Idque argumento Delphinorum, quos hominum in toto oceano ſolos amantiſsimos, non decrepitis Poëtarum modo fabulis; ſed & quotidianis nautarum periculis credendum eſt. Quoties enim, cum *Circum argento clari Delphines in orbem*
Æquora verrebant caudis æſtumque ſecabant,
imminentem ex oblato eo præſagio tempeſtatem Nautæ præſenſerunt; inſignique philantropis illis belluis beneficio deuincti tutiora maturè ceperunt? Mira ſunt quæ de hoc toto genere feruntur, ſed illud imprimis (quod ad Ionæ Prophetæ hiſtoriam compoſitum videtur) Arionem Cytharœdum terra marique nobiliſsimum cum è Siciliâ Corinthum nauigaret, à conſceleratis nautis in mare præcipitem datum, non tamen aquis hauſtum eſſe: Imò vero *Tergo Delphina recuruo*
Se memorant oneri ſuppoſuiſſe nouo,
Eoq; piſce nauiculario vſum Arionẽ Corinthum incolumem appuliſſe confirmant. Quo merito relatus inter aſtra Delphinus, vt nonnullis placere video, quos inter, & faſtorum ſcriptor
Dij, inquit, *pia facta vident, aſtris Delphina recepit*
Iupiter, & ſtellas juſſit habere nouem.
Quanquam malunt alij Delphinum in cœlos euectum beneficio Neptuni, quod illo proxeneta atque interprete in conciliandis Tethyos nuptijs fœliciter vſus eſſet: Quâ etiam gratiâ Deæ illi vectandæ attributus piſcis ille. Vtrumque, non anxiè diſquirens complexus eſt hîc Poëta, cum vnam Archiducem & Arionio illo curru, & Tethyos ciſijs dignam affirmauit. Et ſanè elogium id, & quoduis aliud auguſtius, incredibilis in mortales Mariæ merebatur charitas; maximè porro illa, quam in Hæreticis ad Orthodoxos reuocandis, maximâ omnium conſciorum admiratione exerebat. Quos enim fatali ac ſontico illo morbo tactos intelligebat, pijs omnibus artibus ad mentem vt redirent, moliebatur. Appellabat comiter, conferebat grauiter, familiariter proponebat noſtra dogmata:
Vt rudibus pueris monſtratur littera primum
Per faciem nomenque ſuum, tum ponitur vſus,
Tum conjuncta ſuis formatur ſyllaba verbis.

Vado prætentato, committebat illos ſuauiter, & aliud nihil minus agens quàm cum aliud agere videbatur, eo adducebat, vt cum viris peritioribus agerent, vel religioſis quidem, vel alijs etiam Palatinis ſuis (ſi religioſorum odio aut metu laborantes homines, vt fit, animaduertebat) ſollicitabat, vrgebat, conſtanter æquè ac piè.

Non aliter, quam qui ſparsâ per ſtagna profundi
Euocat è liquidis piſcem penetralibus eſcâ,
Cumque leuem ſummâ vidit iam nare ſub vndâ,
Ducit captiuum ſinuato ad littora lino.

Denique vt mortales errore captos à ſalutis æternæ naufragio vindicaret, vt eos ad Catholicorum tutiſsimam ſtationem pelliceret, non Delphinum modo agebat, ſed & inſtar Apoſtolici Prothei *omnibus omnia fiebat*, in omnes ſe formas induebat: maieſtatis nonnunquam etiam immemor, charitatis ſemper tenaciſsima, idque ſolertiſsime intelligens pro variâ laborantium habitudine varia tentanda remedia. Quemadmodum &

Hi jaculo piſces, illi capiuntur ab hamo,
Hos caua contento retia fune trahunt.

Atenim vbi peruicaciorem quempiã ad vitæ cataſtrophen veniſſe ſentiebat, ſacram etiam mouebat anchoram, adibat, ſolabatur, opitulabatur, commonefaciebat, rogabat denique & obteſtabatur. Quæ vero & quanta Mulier? eo nomine, eâ dignitate, tanto iam natu Princeps. Sed & exorari interea DEVM nũcupatis clã pijs votis, ſupplicijſq;, tũ interpoſitis pluries ſanctè ac religiosè ſacroſanctis incruẽti ſacrificij myſterijs curabat: precationẽ etiam ſolemni religione, eâ mente nonnunquam ad ſacras Diuorũ aras in quadragenas horas prorogari volebat. Ita vero illuſtria curabat capita, vt nec ab his ſtudijs excluderẽtur

Humiles, vulgi pars vltima noſtri,
Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.

Iam vbi rem ex voto confectam tenebat, tum vero quantis ea lætitijs incedebat? quantâ auiditate, quã gratulatione, quibus lacrimis cum illâ ſua cognomine Mariâ Moſaicâ *victorias Domini* decantabat? Eius itaque induſtriæ memores hodie nos victrici noſtræ Debboræ libèns accinimus: *Saluatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicauit.*

SPARSAQVE COELESTI RORE MADEBIT HVMVS. *Ouidius.*

EMBLEMA XII.



MV*nera lætitiamq; Dei ſub ſole benigno,*
Apricus hortus Liberi ſudat patris.
Quod tamen auricomum Phœbi jubar educat, illud
Irrorat ipſum, & terra fœcundat parens.
Relligionis opes pluuio quas fouerat auro,
Hinc cum Tonante diuidit Princeps Deo.

Bac-

BAcchum bimatrem fabulantur Poëtæ, quod cum ad Semelem eius matrem accinctus fulminibus adiſſet Procus Iupiter, eaq; eo incendio intẽpeſtiuè conflagraſſet,

Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
Eripitur, patrioq; tener (ſi credere dignum eſt)
Inſuitur femori, maternaque tempora complet,

Ac legitimâ deinde paterni partus horâ appetente, è paterno femore puer effunditur, vnde *Ignigenamq; ſatumque iterum, ſolumq; bimatrẽ* dixerunt. Quanquam eadem fabulandi licentiâ Bipatrem æq; ferè ac Bimatrem dicere potuerũt. Nec vero obſcura ſubeſt his ſpecioſis inuolucris mythologia. Bacchus vitis, Bimater, imo Trimater. Nam eius ortui ac fructui obſtetricantur & terra, quæ Semele, & auræ, ſiue mauis cœli benignitas, quem Iouis riſum Martianus, & ardor deniq; ſolis igneſcentis, quem author idem Mulciberi verticem indigitat. His inquã naſcitur, &

Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Hinc omnis largo pubeſcit vinea fœtu.

Hæc ſubtrahe, abortum miſera vitis patiatur neceſſe eſt. Iam vero multæ hoc loco Vites, Religiones multæ. Audi Bernardum. *Hæc*, inquit, *vinea* (Religionem appellat) *ſepe charitatis, obedientiæ, paupertatis, caſtitatis circumdata eſt*. Imo, vt ſubdit idem S. Pater, *Hæc eſt illa Paradiſus, quam Deus plantauerat à principio, in quâ poſuit Deus hominem, vt operaretur virtutem*. Hæ igitur Vineæ diuino quidem primum Numine, beneficijs deinde Archiducis ac liberalitate recreatæ, & quaſi *rore cœli & pinguedine terræ*, imo velut aureo imbre aſperſæ ac perfuſæ, *florentes* primùm *dederunt odorem ſuum*, fructum deinde his annis lætũ ac copioſum Deo eiuſq; Eccleſiæ retulerunt. Sentiunt quod ſcribo Patres Auguſtiniani, Dominicani, Franciſcani, Carthuſiani, Capucini, Societatis IESV Religioſi: Dominicanæ item & Clariſſæ Virgines, omnes deniq; ſacrorũ hominũ Ordines, qui præconium immortale hoc nomine meritiſsimæ Principi, ac penè Matri libentes ac gratulabundi reddunt: operarumque ſuarum fructum ſacrum bonâ illi ex parte aſcribunt. Sed nimis jejunè de tuis hîc Archidux Diuæ Claræ ſororibus loquor. nã illîc tuis omnia plena

Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno
Floret ager, ſpumat plenis vindemia labris.

Te vero etiam Parentem, & quid non? magnâ animi volupta-

te prædicāt. Nimius forem ſi ſingula huius, vt ita dicam, Religioſæ charitatis momenta perſequerer: quàm adiret Princeps piè ac ſanctè, quàm jucundè ſolaretur, quam liberaliter ſuppeditaret, quàm conſtanter tueretur ac propugnaret, quàm etiam ſtudioſè monefaceret, ſi forte quippiam ſiniſtrâ famâ de quopiam iactari ſenſiſſet, quàm vt verbo abſoluam, maternè ſacrum hoc hominum genus complecteretur & foueret. Maternè inquam, & date veniam Sereniſsimi Archiduces! Sed Religioſos pari pene auſim dicere, charitatis loco ac numero vobiſcum Sereniſsima Mater habebat. Quod & illa diſertè, nec clam, nec raro profeſſa eſt. Atq; eius animi pignus habentur voces illæ Archiducis, quæ cum aliquando quis filium Religioni nomen dediſſe ferret, vt fieri amat, iniquiùs, hominem ſeriò compellans: *Ego verò*, inquit, *magnopere miror hoc tibi ægrè accidere. Sanè quod ad me attinet, ſi quis amantiſsimorum meorum liberorum animum ad Patres Capucinos, vel Jeſuitas alioſue, adijceret, id verò in magnis beneficijs acceptum ferrem Numini, adeoq; pro viribus pia vota promouerem*. Digna omnino vox, vel Auguſtâ! Ita enim Auguſtum quondā Romanorum Imperatorem accepimus dejeraſſe fore, vt ſi quæpiam ex neptibus per ætatem ſolemni more Veſtalis capi potuiſſet, eam vltro à ſe, & Cæſare, & Auo in obſequium Deæ ablegaret offerretq;. Sed dixerit ille generosè, hæc & cōſtanter fecit. Duas Sereniſsimas Archiduces Leonoram & Christiernam filias Deo dicauit, Halam uſq; Pronuba, vel Sponſarum Domiduca deduxit, illîc demum Religioni in regio ac ſacro Auſtriadum Parthenone mancipauit. Quid poſſet amplius? Sed & ſeipſam viuam ac mortuam adiunxit, Diuæ Claræ religione aſſumptâ, in meditullio eius Clauſtri ac Tēpli cōſepulta. Nec veniret in Societatē fructuū omnium Religionū, quæ tanta earum parens & alumna extitit! Non poſtumis quoque laudibus gratiſsimā amantiſsimæ Principis memoriā tanquā floribus, coronarent Religioſæ familiæ? illis, inquam

Quos neq; frigoribus Boreas, nec ſirius vrit
Æſtibus, æterno ſed veris honore rubentes
Fons Aganippeâ Permeſſius educat vndâ.
Vnde piæ paſcuntur apes, & prata legentes
Tranſmittunt ſeclis Heliconia mella futuris.

Mella! mella! non Heliconia modo, ſed & diuina & cœleſtia, quibus æternos ob fructus Sereniſſimæ Archiducis apud omnes poſteros condîta recordatio, mellitiſſima ſemper vſurpabitur.

ET BENE APVD MEMORES
VETERIS STAT GRATIA FACTI. *Virgilius.*

EMBLEMA XIII.



Ripæ ſonantes voce Cycneâ melos
Vocale Muſis, plangite, ac veteres nouis
Hebri querelas vincite. Haud plectrum, haud lyram
Gemitis; ſed illam, cuius ad fauonios
Aonia Muſis floret, & ſacris fluunt
Mera mella Cycnis lactea Cayſtri vada.

Grati-

CRatitudinem Societatis IESV aduerſus Archiducem defunctam Poëta promittit. Allegoriam commodarunt Cycni, qui *Muſarum aues* Callimacho teſte, & *Apollinis* authore Cicerone, *quod ab eo diuinationem quandam habere videantur. Prouidentes enim*, inquit orator optimus, *quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriuntur.* Quod dictum in viros religione ac eruditione claros, veriore multo ſententiâ referri poteſt. Candidos ergo eos Cycnos, & canora eorum domicilia Vates inuitat, vt antiquata iam & exoleta fluminis Hebri lamenta vincant. Horum hæc occaſio. Orpheus Thracius Vates Eurydicen vxorẽ immani proſecutus amore, ad eam ab inferis eruendã cum in Orcum ſuis ipſe pedibus iuiſſet, vacuuſq; inde ad ſuperos Plutone ac Proſerpinâ fauentibus remeaſſet; Timonianum planè aduerſus omnes fœminas odium concepit. Quo odio efferatæ quædam mulierculæ, ſiue Bacchico furore lymphatæ (quid enim id Orphei intereſt?) vatem miſerè necatum diſcerpſerunt. Reliquias Alumni ſui Muſæ tumulo beneprecatæ compoſuerunt, adjectâ, vt arbitror, Næniâ & Ieſſo: caput porrò & Lyra in præterfluentẽ Hebrum conjecta, cum medijs ferrentur vndis, lamentabile etiamtum nomen Eurydices plangendo perſonabant. Quod eleganter, vt omnia, Georgicorum author:

Tum quoq; marmoreâ caput à ceruice reuulſum,
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,
Ah! miſeram Eurydicen animâ fugiente vocabat.
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Suos igitur hic Cycnos excitat Poëta, vt luctus acuant, & flebilioribus Monodijs ſuæ Principi parentent. Neq; enim impræſentiâ deplorari funus Cytharœdi aut Lyricinis neſcio cuius, ſed Magnæ illius Archiducis, quæ religionis ac Virtutis Antiſtita, diſciplinarum omnium, atq; adeò Muſarum parens nuper audiebat: ex cuius auguſtis manibus, tanquam ex regiæ copiæ cornu, tot, tanta in literas, earumq; adminiſtram, ſequeſtram ac interpretem Societatem IESV beneficia proficiſcebantur: ex cuius munificentiâ tot Collegia, tanquam quidam Mæandri, Cayſtri, Padiue Cycnis familiares, tot denique

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:

In quibus videlicet Olores ingenui magno cũ ſuo bonorumq; omnium fructu ac voluptate natitarent. Academiam Archiducalem Græcenſem mihi hic intellige, Collegium Labacenſe, Collegium item Clagenfurtenſe, in tribus Sereniſsimorum noſtrorum Archiducum Prouincijs Styriâ, Carniolâ, Carinthiâ, Deo ac Muſis amplè, munificè, copiosè extructa, exculta, dotata, Societati IESV attributa. Repete iam memoriâ priuata alia ac domeſtica beneficia, & quod exigit à Principe Caſsiodorus, *Munificentiam quotidie in ſuos, tanquam ſolem renaſcentem*. Recole theſaurum ingentem Societatis fidei commiſſum, quatuor Sereniſsimos Archiduces excolendos, nec leuiter duntaxat, & vt mos fert, ad ſpeciem tingendos; ſed penitus litteris imbuendos. Vnde geſtientium illa Muſarum gloria, cum Sereniſsimos FERDINANDVM, MAXIMILIANVM, LEOPOLDVM, CAROLVM ſuis Atheneis palã aſsiduos, in Academico ſuo puluere generosè ſudantes aſpicerent, cum Theoremata Philoſophica in publico ac ſolemni Academicorum conſeſſu propugnãtem Principem audirent, cum eruditionem obſtupeſcerẽt, Laureamq; auguſtis Archiducum ceruicibus ſummo omnium plauſu deuouerent, daturæ etiam; niſi coronis Archiducalibus ac Tiaris Pontificijs redimitas antè illas reperiſſent. Adijce iam contubernia egenis adoleſcentibus vbiq; aperta, ære ac ſumptu Archiducum, vt neq; ſua Collegijs deeſſent ſeminaria, nec ſtudijs Prytanea. Deniq;

Deſeret antè dies, & in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos, quàm conſequar omnia dictis.

Itaq; neq; Cycni, neq; Muſarum eſſent filij ulli, niſi qui tantorum meritorum reos damnateſq; ſe profitentur, Cycneâ voce, quoad licet, à fatorum obliuione, ab obliuionis injuriâ memoriam Archiducis vindicarent, niſi ad famæ immortalitatem MARIÆ nomen eueherent. Verum exiſtimationi ſuæ plagam hanc non inijcient, ſed Principem ſuam

Cantantes ſublime ferent ad ſidera Cycni: &
Quam referent Muſæ, viuet dum robora tellus,
Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Ad hanc enim operam, & debita gratitudo, &

Mentis Apollineæ vis has mouet vndiq; Muſas,

Et qui Muſarum Catholicarũ auriga, ac moderator Societatis

In medio reſidens complectitur omnia CHRISTVS.

NVN-

NVNQVAM PIGRA FVIT NOSTRIS TVA GRATIA REBVS. *Ouidius.*

EMBLEMA XIV.



14

PActolum atq; Tagum cupidâ concludat in vrnâ,
Pectore cui multus, multus & ore Midas.
Hos ego in auguſtos Domini, Diuûmque penates
Influere, atque auro tingere cuncta volo.
Sic qui cœleſtes potuit cognoſcere gazas,
Terrenas vno Numine mutat opes.

Fœli-

FOelices alicubi ac fortunatos eos lapides dici poſſe tradit Ariſtoteles, quos Deorum delubris extruendis contigerit adhiberi. Nos fœlices ac fortunatas Archiducis, gazas dicimus, quod eas potiori ex parte in auguſta DEI Templa, Diuorumq; ædes moliẽdas, ornandas, ditandas collocauit. Sed & eâ de cauſsâ fœliciores ac verè ſuo nomine dignas opes has appellamus, quod Principi ad beatitatem conſequendam magnam opem attulerunt. Ab hâc ergò munificentiâ nouum Archiducis encomium. Quantum nempe alij auaris Midæ votis litantes auro inhiant, quantum Tarteſiacas arenas rimantur, quantum pretioſam Tagi tempeſtatem captant, quantum Pactolum, & Hermum, & alios vel vetere memoriâ decantatos, vel ſuperiore ſeculo deprehenſos auri manales argentifluoſue fluuios ſitiunt, tantum Archiducalis liberalitas diuinis nuper ædibus ære ſuo locupletandis imminebat. Liberalitas planè, quæ vicit *Fontem Hermi, tactumq; Midæ, pluuiaſq; Tonantis, Obſcurat veteres, obſcurabitq; futuros.*

Ac loca iam ſacra, vel in periplo Græcenſi Auguſtæ Deiparæ, Diuis Ioanni, Paulo, Floriano, vel in ipsâ vrbe alijs diuorum titulis reparata *Prætereo, atq; alijs poſt commemoranda relinquo.* Illud Panthagion ſine piaculo præterire non poſſum, quod à malæ fidei poſſeſſoribus poſtliminio melioris fidei ac religionis receptum, & Sanctimonialibus D. Claræ Grætij datum dicatumq; eſt: *donis opulentum ac munere Diuæ.* Sedem habet ad id littus, vbi Mura altum *Obſtrepit, & dulces inuitat murmure ſomnos.*

Vrbis illic pomerium claudit, amœnitate pari ac dignitate viſendum, pietate etiam ac ſanctimoniâ (quod egregie fit, celebrandum. Parietes ijs Auleis ac picturis illuſtrantur, aræ ita frontalibus attalicis, phrygijs, gemmatis conueſtitæ, eâ tabularum ac pegmatum arte, eo omnis ſacri ornatus apparatu ditatæ, onuſtæ, tantâ, tam variâ argenteâ ſupellectile inſtructæ, tot lychnis, tot candelabris, tot Diuorum ſtatuis, tot emblematis auro illitis argento fuſis radiant, vt theatrum quoddam priſcæ magnificentiæ repræſentare videantur. Denique tantus loci ſplendor, quantus ſi totus illi ſeruiat Hebrus,

Ruraq́ diues cingat Hydaſpes,
Intraque ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem. Hæc de Templo.

Iam vero, *Poſt illa vulgo nota quæ populi colunt,*
In multa diues ſpatia diſcedit domus,
Arcana in imo regia receſſu patet.

Regia inquam, ſiue à Chriſto Rege, inter Virginum choros agitante, ſiue à regijs Archiducis MARIÆ beneficijs. Domus enim adeò ad amuſsim omni domeſtico inſtrumento exculta, ita ſpeciosè deducta Virginum DEO ſacrarum penetralia, reditus tàm ampli conſtituti, vt nihil ad regij monaſterij ſplendorem ac dignitatem deſideretur.

Addidit & fontes, & ſtagna immenſa lacuſq́,
Fluminaq́ obliquis cinxit decliuia ripis.

Denique vt nihil hic de annuo cenſu dicam, quem multorum eſſe millium qui norunt, aſſeuerant, hoc dico, ſi quas in ſacram hanc ædem opes contulit Archidux, ignis ſoluiſſet

Argenti, inquit ille, *potuere lacus & flumina fundi.*

Hæc tamen omnia Marianâ beneficentiâ conſtant. Quanquam nihil ex omnibus illuſtrius huic ſuæ Clarianæ domui dedit, quàm quod Deum quadantenus imitata, poſt ſuas opes ſemet illi loco condonauit. Sed penè exciderat, (quod ſileri minimè fas fuit, ſingularis Principis aduerſus *Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes* obſeruantia; ea maximè, quam in ſacris eorum lipſanis ac reliquijs exornandis oſtendebat. Habebat immortalis ſpei plena Princeps diuina hæc pignora, eáq; in ebore, purpurâ, argento, auro, gemmis deniq; emicare volebat atq; effulgeſcere. Vnde hodiè quoq; mille ſacra velamenta ac thecæ ad aras vbiq; vibrant, in quibus fila pretioſa Smaragdis

Ducta virent, Amethyſtus ineſt, & fulgor Iberus
Temperat arcanis Hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis in tali ſuffecit gratia textu,
Auget acus meritum picturatumq́ metallis
Viuit opus, multaq́ ornantur Iaſpide vultus,
Et varijs ſpirat Nerëia bacca lapillis.

Tales, tàm diuites atq; Auguſtæ Mariano munere Diuorum paſſim extant Lipſanothecæ. Et dubitabimus ad beatam eorum Societatem Principem euolaſſe, quos tam eximio cultu ſemper eſt venerata?

PROVIDA DIVITIAS ALIMENTAQVE MITIA TELLVS SVGGERIT.

Ouidius.

EMBLEMA XV.



I Fœlix anima, i, patrias pete protinus arces,
Quas inopum toto limine pandit amor.
Tu PRINCEPS, *Tu* MATER *eras, Cereriſq; beatâ*
Tu vice, fatalem docta fugare famem.
Tu melior Cerere, aut forſan Cerealia plenis
Donanti calathis præſtat arare docens?

Hæc

HÆc non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, ſed largior imbre
Sueuerat innumeras inopum ditare cateruas:
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat populis vndare penates,
Aſſiduos intrare inopes; remeare beatos.

Hoc merito ob infinitas eleemoſinas pauperibus erogatas Currus hic, & Angues Cereris Archiduci aſcribuntur. Creditum enim quondam eſt, Cererem Deam frugum repertricen, eas cum omnibus paſsim mortalibus beneuolè communicaſſe, & cum ijs humaniores vt ita dicam, ac mitiores mores inſtillaſſe; ſiue quò diuertens ipſa coràm doceret, ſiue quò Tleptolemum ſuum deſtinaret interpretem, qui & ſemina gentibus ac populis impertiret, & eos auſpicijs Deæ arationem edoceret. Tradit hoc Metamorphoſeon author planè:

Prima Ceres, inquit, *vnco glebam dimouit aratro,*
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris,
Prima dedit leges. Cereris ſunt omnia munus.

Audiat hoc velim Grætium, & ſecum recolat, quàm & legibus, & humanitate, & opibus, & nominis celebritate auctum atque excultum fuerit, ex quo niueis quadrigis aduenientem MARIAM accepit. Audiat, recolat, mapalia ſua cum hodiernâ ſuâ amplitudine ac luce componat, & lubens volens occinat, *MARIÆ ſunt omnia munus.* Audiant & pauperum cunei, & quod faciunt, merentes MARIÆ memoriam prædicent. Senſerat hæc D. Leonis Pontificis monitum, & quaſi totidem ſyllabis ſibimet impoſitum acceperat: *Idcirco te Deus abundare voluit, vt per te alius non egeret.* Senſerat Senecæ dictum: *In multos diuidenda liberalitas*; ſenſerat; nec ſegnis id factitabat. Itaq; quemadmodum Cereris muneribus omnia paſsim recreata fabulæ retulerunt; ita verum eſt Archiducis beneficijs vniuerſam pauperum omnium ac egenorum multitudinem refocillatam vbique reſpiraſſe. aut quis Irus vnquam Principem adijt;

Quem non animoſa beatum
Excipit, & ſubito juuat indulgentia cenſu? Nec domi tantum, & in vrbe liberalitatis huius fontes enati; peregre quoque cum iret, *Princeps illa manus fluuios ſuperabat Iberos,*
Aurea dona vomens. Vbicumque, inquit Seneca, *homo eſt, ibi beneficio locus eſt.* Ego vero; Vbicumque Archidux,

ibi beneficio locus fuit. Quanquam & ſolis inſtar, ibi perſæpe arcanâ ac beneficâ vi ſentiretur, vnde ſplendore ac majeſtate plurimum abeſſet. Et verò pauxillum eſt, quod frugum dumdaxat manipulum ſymbolicus hic Marianæ liberalitatis currus oſtentat. Veſtes etiam viriles ac muliebres, eſculenta ac poculenta, medicinas & pharmaca, pecunias, libellos precarios, roſaria, cereas Agni ſacri imagines, omnia deniq; vel pietatis inſtrumenta, vel neceſsitatis amuleta vectare debuit. Hæc enim quotidie plenis calathis MARIA ſpargebat in egentes. Meminimus hem! quoties, quàm largè nudis cultus, famelicis cibus, peregrinis commeatus, ægris medela, demenſum ſtudioſis, Noſocomiarijs epulum, captiuis lytrum, reis ſolatium, puellis dos, omnibus denique opem flagitantibus ingeſta munera!

Non mihi centenis reſonent ſi vocibus ora,
Multifiduſq; ruat centum per pectora Phœbus,

nec ſic inquam, cuncta ſingillatim numerem. Quoties ij quos fame, & pedore, & pudore enectos, intra priuatos ſorte parietes *Sordida paruæ fortuna domus* ſepultura fuit; viderunt Archiducem *Anguſtos opibus ſubitis implere penates?* & inopinato eo, tanquam Dei beneficio reuiuiſcentes lucem antè exoſam, & fugientem iam animam tenuerunt? Quoties aliqua vilis anima cunctis nuper opibus deſtituta, mox per Principem reſtituta, Vindici ſuæ atq; aſſertrici acclamauit,

Mortua crede mihi, tamen ad tua dona reuixi!

Deniq; familiaris adeo ac germana Archiduci coadoleuerat miſericordia, vt Principem eam in hodiernum diem ipſa egenorum ergaſtula, ipſi ſontium carceres, ipſa ptochodochia, ipſa paupertinæ juuentutis prytanea non alio, quam nomine Matris appellent, eiuſq; mortem communi conſenſu ac lacrimis, veluti ſuam orbitatem ac ſolitudinem lugeant. Quidni ergo ſupremum munificentiæ monimentum accipiat: quale Ceres, de quâ Poëta:

Geminos Dea fertilis angues
Curribus admouit, freniſq; coercuit iras?

HAVD IGNARA, AC NON INCAVTA FVTVRI.

Horatius.

EMBLEMA XVI.



AVguſtos etiam MARIAE venietis ad axes,
Queis Bromij pompam ducere cura fuit.
Non decet aurigæ bijuges vigilare madenti,
Lumina cui vini flumine victa madent.
Lyncea vos vectura vocat, ſub cuius habenis
Stertite, vel Talpæ more; ſat illa videt.

Emble-

EMblema concinnatum eſt in illuſtrem ac predicandam ſemper Archiducis Prudentiam. Cuius fructum vt decuit, primum ac maximum percepit olim domi Sereniſsimus CAROLVS Archidux MARIÆ coniux, ſummáque ac conſtanti animi voluptate probauit fœlicitatem illam, quam D. Chryſoſtomus ijs maritis pollicetur, qui prudentem vxorem nanciſcantur. *Nam ſi,* inquit, *fuerit ea ornata virtutibus & manſueta, omnia viro ſuauia ac facilia reddit, neq; percipere ſinit externas illas moleſtias, neq; difficultates quæ quotidie domi naſcuntur: Sed inſtar optimi gubernatoris, omnem eius tempeſtatem in Serenitatem ſuâ ſapientiâ conuertit, intelligentiaq; ſuâ magnam ei affert conſolationem.* Hoc igitur à conjugis prudentiâ conjugi ſolatium. Quid porro in illo Interregno, antequam Sereniſsimus FERDINANDVS Archidux ſolemni more ac pompâ Princeps inauguraretur, quam prudentiam in Sereniſsimâ Regente Prouinciæ hæ deſiderarunt; quam non repererunt? Quanquam enim grauiſsimo ac juſtiſsimo mærore confixa erat, quanquam domeſticarum curarum non leuidenſe pondus incumbebat, quanquam immaniſsimus Turca ferrum, flammas, vaſtitatem indicebat, adeoque inferebat, quanquam interea tot tempeſtatum vterum MARIA gerebat, præſtitit tamen ſemper rarum illud in muliere, in Principe neceſſarium ornamentum Prudentiam: eamq; tam integram atq; exaggeratam, vt in eâ vnâ Prouinciæ aliàs deſtitutæ fœlicitatem ſuam mirarentur. Quid dicam de Sereniſsimo FERDINANDO Archiduce juuene adhuc ad gubernaculum admoto, quantum in Matris ſapientiâ præſidium ſemper collocatum eſſe duxit! quoties gnara illa velut Virgiliana mater, familiariter ſuggeſsit filio;

Aſpice: Namq; omnē quæ nunc obſcura tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circū
Caligat nubem eripiam?

Quoties implexa negotiorum volumina mirâ conſiliorum ſuorum fœlicitate retexuit? Quoties altâ quadam mente impendentes rerum aduerſarum turbines ac procellas, & præuidit, & quantum homini fas, anteuertit? quod nunquam clarius obſeruatum, quàm in extremâ vitæ periodo (in quâ fatidicum ali-

quid eſſe Plato aliquando prædicauit) nam eius temporis verba ſi cum euentis componantur, videbitur quaſi ex deſtinato, maturã mortẽ oppetendo, imitari voluiſſe grandæuũ aliquem Nauarchum, qui de præcelsâ puppe *Proſpiciens ſignis venturum in carbaſa Corum*
Summo jamdudum ſubſtringit lintea vento.

Sed ne mythologiæ argumentũ hic quoq; deſideretur, ſic deducetur. Liberum Patrem debellatis Indis primum ex mortalibus triumphalem pompam traduxiſſe volunt plerique. Eius vero ad quadrigas pampinis vndiq; ac vuis conueſtitas, habenis lacte, vino, nectare fluẽtibus aſtrictas alij Tigrides, alij Lynces, vtraſq; alij ſcribunt. Et Lynces credebat, qui Bacchum compellans aiebat, *Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis*. Mythologiam belluarum ſunt qui ad feritatẽ referant, quam Bacchus amat conſciſcere, cum & *in prælia trudat inermem*. Cui interpretationi Centaurea rixa *cum Lapithis ſuper mero debellata*, ſexcentæ quoq; quotidianæ eius ſaliuæ concertationes ſuper menſam enatæ atq; adultæ ſuffragantur. Sunt qui feras Bacchi iugo ſubſtratas eâ malunt ſententiâ, quod qui *implentur veteris Bacchi* feritatem ſolent *inter jocoſi munera Liberi*, vel ponere, vel mitigare. Scitum enim eſt elogium: *Ille liquor docuit voces inflectere cantu,*
Mouit & ad certos neſcia membra modos.

Noſter Lynces contẽplatus, quibus præcipua laus in oculorum acie ac perſpicacitate, quâ mirandũ in morẽ excellere, adeoque truncos, & montes (ſi digna fides, ferũtur penetrare, ex adverſo verò monſtrum illud, cui præ temeto *lumen ademptum*, oſcitantem ſcilicet Bacchũ obſeruans, indignũ eſſe ait ijs oculatiſsimis vectoribus eũ, *qui mentem in pocula mergit*, cui præpediuntur

Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt,
Et iam cætera de genere hoc quæcunq; ſequuntur.

Hæc enim germana Bacchi hypotypoſis. Et quanquã aliũde appoſite omninò ac ingenioſè viſus acutiſsimi feræ caligãtis Bacchi quadrigis datæ ſunt, (ne cœco cœcum manuducente, tota hæc ſomniculoſa pompa in proxime obuiũ præcipitiũ deuoluatur) operæ tamen pretiũ eſt, miſsis oculis animiſq; vino natãtibus, vino ſepultũ aurigã prudẽtiſsimâ ac ſolertiſsimâ Principe cõmutare, cuius eavigilãtia ac ſagacitas ſẽper fuit, vt pro omniũ incolumitate perennes vigilias ſibi ipſa indixiſſe videretur.

SPON-

SPONTE SVA SINE LEGE FIDEM RECTVMQVE COLEBAT.

Ouidius.

EMBLEMA XVII.



Aſcende Princeps, qua auream Zonam explicat
Vrania: Verna Boicæ Domus Leo
Inuitat aſtris Dominam, & Aſtream vocat.
Nec libra refugit Principem, quam ſidera
Ter quina vallant. Serta, ſpicas, omnia
Cœlo profeſſi cœlites digna ambiunt.

Qui

QVi duodecim Zodiaci ſigna numerãt, quintum in his Leoni, ſextum Virgini, ſeptimum Libræ locum Aſtronomi diribitores aſsignant. Virginem autem illam alij Erigonem fabulantur, vnde Mantuanus,

Qua locus Erigonen inter, chelaſq; ſequentes
Panditur. Aſtræam alij, Iouis & Themidis filiam vocant, quam aureo ſeculo cum mortalibus æuũ egiſſe; offenſam deinde deterioris ſæculi moribus ac ſceleribus in cœlum ſeſe recepiſſe tradunt. Quod luculentè Seneca:

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, cruentâ cæde pollutas manus
Aſtrea virgo, ſiderum magnum decus. Vtvt ſit, ſignum id quod vmbilicum Zodiaci cum librâ tenet, Iuſtitiæ Antiſtitæ ſacrum eſſe confitentur, tum qui Aſtrææ, tum qui Erigones cauſſam agũnt. Nam & hæc, inquit Manilius,

Rexit ſæcula priſca
Juſtitiâ, rurſusq; eadem labentia fugit.

Et vniuerſè *Poëtæ*, ait Lactantius, *finxerunt juſtitiam offenſam vitijs hominum ceßiſſe terrâ, in cœlumq; migraſſe.* Atq; huius demum Aſtreæ in ſolium multis nominibus Archiducem MARIAM attollit Poëta. Præit enim *Leo Bauariæ ſtemmati gentilitius*, tanquã ſuæ Principis anteambulonem agens, *Juſtitiæ libella* amantiſsimam ac ſtudioſiſsimam Iuſtitiæ Principem libens admittit, accedit quod *quindecim ſtellis* circumſcripta Aſtræa; quindecim liberis Archidux eſt nobilitata. Adhæc *ſpicas* oſtentans Virgo recreat cœlites; erogatis totis horreis MARIA refecit mortales. Præcipuum tamen Iuſtitiæ argumentum encomium hoc Principi aſtruxit. Iuſtitiæ inquam, *ſine quâ, ne Jupiter quidem,* vt grauiter Plutarchus, *rectè imperare poßit.* Cui regiæ virtuti quantum ſemper ſtuduerit Archidux, meminerunt publicè ac priuatim omnes. Recolit quoq; fœcundum quoddam in fraudes genus hominum, qui litibus exercent linguas & rabioſa fori jugia venditant: hos enim ſi non ad Areopagi canones; certè ad eos quos potuit æquiſsimos reuocatos eſſe ſemper voluit Prin-

ceps

ceps inimiciſsima litium, pacis amantiſsima ac tranquillitatis. Senſère & virtutis illius fructum infœlices illæ animæ, quæ à ſuis miſerijs nomen in jure ſibi præſcripſerunt, quas non immerito alicubi Prætorũ prædas appellat Orator, quod à potentioribus, vt *eſca panis*, ait Propheta, deuorentur, ac diripiantur:

Ceu ſtimulante fame, cum victor ouilia tandem
Faucibus inuadit ſiccis Leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patuloq; redundat
Gutture ructatus latè cruor.

Illi igitur earum omnium calamitatum ac miſeriarum mancipes, pupilli, viduæ, egeni, aduerſus omnem vim, fraudem, injuriam certiſſimum ſemper ac tutiſsimum in Archiducis Iuſtitiâ aſylum repererunt. Patebant ſemper auguſtæ fores non ad querelam modo deplorandam; ſed ad reportandum ſolatium: quo nihil in Tribunitiâ olim poteſtate Roma jucundius, nec laudatius vidit. Itaque miſeris hiſce nomen Archiducis hodiernâ etiam die tale, tam ſuaue:

Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.

Nec id modo eâ tempeſtate egit Maria, cum Sereniſs. Ferdinando filio nondum rerum potiente deuolutos ad ſe poteſtatis & imperij faſces ſuſtineret; verum & eo iam fœliciter imperante curſum eundem tenuit, & quaſi nouam noſtris oculis Pulcheriam retulit, ſingulari ſimul pietate, ac juſtitiâ (*quibus duabus virtutibus Principes Deos fieri Seneca tradidit*) Aulam vniuerſam, & ipſum maximè Aulæ caput informans. Quanquam Pulcheria ſororis dumdaxat gratiam ad Theodoſium fratrem; Archidux etiam in conſilijs ac monitis, Matris authoritatem ad Ferdinandvm filium adferebat.

ASPERITATE CARENS POSITOQVE PER OMNIA FASTV.

Lucanus.

EMBLEMA XVIII.



EN faciles aditus velo Lectica reducto
Obtulit : en auris, dextra, ſinuſq; patent,
I propior, ſataget triſtes lenire querelas,
Quæ reſerat totas Gratia blanda fores.
Nec Suadam ærumnis comitem inuitare labora;
Pro te, Reginæ iam tenet illa latus.

Mutua-

MVtuatum hoc elogium in Archiducis Clementiam, à celeberrimâ Imperatrice Statira Magni Perſarum Imperatoris Artaxerxis Mnemonis coniuge. ac notum quidem ſupra modum omnem humanitatis & modeſtiæ, retinentes majeſtatis, Magnos ſemper Perſarum Reges extitiſſe: adeo vt & adorari ſe vellent, & ſuos mancipiorum penè loco numerarent, & ſui videndi non temerè copiam vulgo facerent, & terram regijs pedibus attingere nefas ducerent, & ſine muneribus adiri ſe minimè paterentur, & ſi quis iniuſſu regio ad eos accederet, propiuſq; ſubiret capitale id ei eſſe juberent, & id genus alia, profecta *ex nimiâ*, vt loquitur Rupertus Tuitienſis, *ventoſitate miſeræ vanitatis, vt Rex magni imperij plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex vſu publicæ viſionis*. Atque hæc quidem ab vnâ ſacrâ Heſteris hiſtoriâ (vt profana taceam) lucem accipere & fidem poſſunt. Statira tamen tam ſuperbæ ac faſtuoſæ belluæ coniux, eâ clementiâ ac facilitate fuit, vt cum prodiret in publicum lecticâ patente, veloq; latè reducto id faceret, quo adeundi omnibus ac ſupplicandi locus eſſet. Ab hoc ergo Theatro gloriæ Principum (ſic enim Magni Macedonis parens clementiam nuncupabat) à ſimili inquam facilitate Archidux noſtra commendatur: ab aditu facillimo; qui ſemper ad eam pronus & patens fuit, ijs etiam qui ſolo miſeriarum, tenuitatis, ac vilitatis ſuæ merito à Principum limine adeoq; aſpectu proſcribi ſolent. Nihil illa ferebat iniquiùs, quàm majeſtatem eam quæ Perſico faſtu afflata, repreſentaret atq; oggereret ſubditis ſuperbum ac faſtuoſum illum Phœnicem, quem

Innumeræ comitantur aues, ſtipatq; volantem
Alituum ſuſpenſa cohors, exercitus ingens
Obnubit vario latè conuexa volatu:
Nec quiſquam tantis è millibus obuius audet
Ire duci; ſed regis iter flagrantis adorant.

Procul, procul toto cœlo ab Archiduce typhus ille. Meminerat eos qui ſumma rerum tenent faſtigia, tam ſtudioſè inferioribus accedere debere, quàm facile ſibi ac ſecundum olim Nu-

men eſſe cupiunt; quod inter multa ſapienter Iuſtinianum Imperatorem admonuit Agapetus: Meminerat Rudolphum I. Cæſarem Auſtriacum hæc verba ad ſuos vſurpare ſolitum; *Sinite homines ad me adire, neque enim ideo ad Imperium euectus ſum, vt arculâ circumcluſus aut circumſeptus deliteſcam:* Meminerat Ianitoribus Imperatoris Antonini, ideo Pij, plus olim muneris ac laboris in tenuiſsimis hominibus ad Principem admittendis, quàm in ſubmouendis ponendum fuiſſe: Meminerat hæc omnia, eaque omnia vno ſuo exemplo præſtabat. Admittebat ſupplicabundos ad lecticam & manum cum Statirâ, ad conſpectum & aures cum Rudolpho, ad penetralia cum Antonino: nec tantum admittebat; ſed ad Sereniſsimos Archiduces CAROLVM Maritum, FERDINANDVM filium adducebat, interpretē agebat, anxiè velut ſuā ipſa cauſſam peroraret miſeros commēdabat:

Exemploque niuis, quam mollit aquaticus Auſter
Gutta per attonitas ibat oborta genas.

Lacrimæ inquā, & gemitus, & piæ inter ſingultus & ſuſpiria querelæ obteſtationibus comites accedebant. Et dicamnè etiam augusto aliquando huius Archiducis flexo poplite, lentam paullùm ac difficilem miſericordiam extortam eſſe? Viue Archidux & memoriâ, & gloriâ ſempiternâ, & Clementiæ tuæ cœleſtis ac diuinæ virtutis laude ac pretio fruere. Clementiæ dico,


Quæ Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur, poſuitque ſuas hoc pectore ſedes.

Non ſubducam hic quoties, & quibus Ea Tua benignitas ſaluti fuerit, quàm multos omnis ordinis ac ſexus à mœrore ac luctu, à capitis & famæ dimicatione ad vitæ, & exiſtimationis, & lætitiæ integritatem reuocarit: Hoc aſſeram, ſi Pericli jure vllo nomen Olympij datum eſt Athenis, quòd nemo eo authore ac imperāte veſtem atratam ac luctuoſam ſumpſiſſet, Olympiæ titulum omni maximo ac potiſsimo jure meruiſſe Te, cuius incredibilis Clementia neminem vnquam vel viuum vel mortuum à ſuis vlnis & complexu ſegregauit.

PAR CVICVMQVE PERICLO.

Silius.

EMBLEMA XIX.



S Tat; licet ima premat decumani inſania fluctus,
Oceaniq; ruat totus ad arma furor.
Stat; licet horrendùm Borealibus icta flagellis,
Ridet & irati fulmina bruta Iouis.
Imò, ſepulcrales minitantia fata ruinas
Deſpicit, in cælos tollere certa caput.

Forti-

FOrtitudinis & Conſtantiæ quot, quàm illuſtria viuens moriens Archidux trophæa ſibi poſuerit, vidêre multi, dixêre nonnulli, mirati omnes. Inde *Rupes emblematica*, tum ob excellentem regiæ fortunæ dignitatem periculo obnoxiã. Docet Tragicus: *Vt alta ventos ſemper excipiunt juga,*

Rupemq; ſaxis vaſta dirimentem freta

Quamuis quieti verberant fluctus maris:

Imperia ſic excelſa fortunæ objacent. Tũ altero quoq; nomine, ob firmitatem inquam, *Rupes.* Nam, & in hanc Deus *Intonuit, radijſq; ardentem lucis & auro*

Ipſe manu quatiens oſtendit ab æthere nubem.

& in eandẽ fecerunt impetũ *Aduerſi, rupto ceu quondã fœdere venti*

Confligunt Zephyruſq; Notuſq; & lætus Eois

Eurus aquis, ſtridunt ſiluæ, ſæuitq; tridenti

Spumeus, atq; imo Nereus ciet æquora fundo.

Sæuierunt hæc inquam in Archiducem, nec obiter aut per trãſennam. Quid deinde? familiari ſcilicet Numine, & domeſticâ Conſtantiâ freta *Illa, velut rupes vaſtum quæ prodit in æquor*

Obuia ventorum furijs, expoſtáq; ponto

Vim cunctam, atq; minas perfert cœliq;, mariſq;.

Ipſa immota manet. Imo vero ita heroicâ virtute fortunæ minanti reſponſat, vt veterum Heroidum elogia in huius admirationem ſeruaſſe videatur antiquitas. Stetit enim aliqua media inter ſuorum funera, nec flexit indignè ceruicem, nec leſſum fecit genis? Stetit Archidux noſtra; nec ad parentum, fratrum, ſororũ mortes concidit. Vidit aliqua mater prolem immaturo ſublatam obitu, clauſitq; ijs oculos perverſâ lege naturæ, à quibus ſuos extremùm claudi cupiebat? Vidit hoc Archidux, in ſex liberis fecit; nec in ſaxum obriguit. Senſit alia diſcerpi ſibi dimidium ſui, mariti manes compoſuit, nec luctu victa eſt indecoro? ſenſit & hoc Archidux acerbiſsimè; nec in flammas deſiluit, nec ſemet incuſsit parieti, nec prunas ardentes hauſit. Quid hæc dico? nihil à ſanguinis dignitate, nihil à virtutis opinione, nihil à religionis grauitate ac ma-

 jeſtate

ieſtate concepit indignum. Ita nempe

Explorant aduerſa viros, perq; aſpera duro
Nititur ad laudem Virtus interrita cliuo.

Prætermitto hoſtium ſanguinem eructantium, flammas ſpirantium Turcarum immaniſsimos impetus, incurſiones, patriæ pericula, finium vaſtationes, munitiones occupatas, expeditiones noſtrorum infauſtas, inteſtina diſsidia, tumultus propinquos, cæteram malorum Iliadem (ne veterum calamitatum camarinam funditus eruere velle videar) prætermitto; ad quæ tamen velut ad acerrimum Lydium lapidem explorata MARIANA CONSTANTIA præclarum ſui periculum fecit. Hoc dico: quicquid ad virtutem probandam vis superûm in illam conflauit, quicquid ad labefactandam patientiam nequiorum ac ſtygiorum ventorum animæ aduerſus illam afflarunt, quicquid ad vexandum irritandumque animum in Archiducem mortales commouerunt ac conſciuerunt, Totum eius *Conſtantiâ*, tanquam *Adamantinâ quadam Rupe* exceptum, diſiectum, & emicante ſemper laude, ſeu flammulâ diſsipatum eſſe. Quanquam enim non occalluerat ad ſenſum & periculum, animum tamen præſentiſsimâ ſibi ſemper fortitudine ita ſaburrauerat atque obfirmarat, vt pene miraculum ea *Conſtantia* videretur præ ſe ferre. Tantum ex omnibus his tumultibus (quaſi impactæ atq; illiſæ in Marpeſios ſcopulos vndæ forent) generoſus quidam interdum gemitus excutiebatur: *Hem! vt grauiter hic caſus me premit!* premebat tantum; non opprimebat. Imò vero ab inuicto illo pectore mox premebatur: vt grauitas ſibi ſemper ad amuſsim conſtantiſsima reſponderet.

Torrentes, inquit, *immane fremant, lapſisq; minentur*
Pontibus, inuoluant ſpumoſo vertice ſyluas,
Pax maiora decet. In his Archidux, quæ cum toto vitæ curriculo, adeoq; etiã inter acutiſsimos lethalis morbi dolores infractam hanc *fortitudinis Chriſtianæ* palmam retinuiſſet, abijt tandem, vt inter Heroinas non degener ipſa ſedem capeſſeret, ibi ſincero ſemper æuo gloriæ perennatura.

E COE-

E COELO DESCENDIT

Γνῶθι σεαυτόν. *Iuuenalis.*

EMBLEMA XX.



PErnicem quiſquis moliris ad æthera curſum,
Regalem Archiducis diſce tenere viam.
Illa oculos Argi celato poßidet auro,
Maxima quæ cum ſit, ſe putat eſſe nihil.
Mitte igitur faſtus : oculatis vtere pennis,
Non init æthereos ala ſuperba lares.

Sic

SIc eſt in Principibus Humilitas glorioſa, ait Caſsiodorus, quemadmodum in mediocribus odioſa jactantia. Glorioſæ igitur Archiducis Humilitati Tropheum immortale ponatur. Argumentum Iunonis currus facit, de quo hoc habe. Iunonis paſtor ac bubſequa Argus fuit, hunc mirè oculatum, imò penè totum oculeum Poëtæ depinxerunt. Vnde qui obiter numerarat Ouidius, *Centum* ait, *luminibus cinctum caput Argus habebat.* Mercurius tamen bioculus dumtaxat, peruigilem Paſtorem ſopitis in meridie luminibus interemerat. Ergo ne tot lumina magno Vniuerſi damno deperirent, collegit videlicet accuratê reliquias Iuno, & in Pauonen, auem ſibi in paucis familiarem & charam coornandam, totum illum oculorum, ſeu mauis gemmarum apparatum tranſtulit: quare extemplo Poetæ *Junonis volucrem quæ caudâ ſidera portat* celebrarunt. Atq; hinc

Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum Pauonibus æthera pictis.

De quo S. Auguſtinus, *Legitur* ait, *in Poëtis, quod centum oculos Argus habebat: quod ita poteſt intelligi, quod mentis ſuæ circumſpectionem & prudentiam poſſidebat. Eſto ergo alter Argus; imò illo cautior, vt nouiſſima prouideas prudenter. Summa totius prouidentiæ, eſt vtiq; illa terribilis hora, in quâ miſera anima tua ex hoc corpuſculo corruptibili timens eſt egreſſura.* Hoc vero accuratè Archidux factitabat. Circumſpiciebat ſe, videbat, pernoſcebat, mortalem ſe natam, vtiq; & morituram deprehendebat, cauebat ne alterutrius fortunæ vel ſplendore, vel caligine pius ille perſtringeretur intuitus, impreſſum altè præſagium alebat, quod Pſaltes comminabundus occinit Principibus, *Ego dixi dij eſtis; Vos autem ſicut homines moriemini.* Deniq; his cogitationibus ad omnẽ ſui deſpiciẽtiam ſe componebat, & cum in alijs Chriſtianis officijs vinceret æquales, in hâc *Humilitatis* aſceticâ contentione ſeipſam quotidie ſuperabat. Ex hoc fonte incredibilis illius Heroinæ aduerſus vilia ac deſpicabilia ſemuntiariorum hominum capita facilitas, pari cum charitate coniuncta. Loca illa in quibus, (vt mures albi jactitant.) quaſi in veſtibulo *Primiſq; in faucibus Orci*

Luctus & vltrices poſuere cubilia curæ, *Et metus, & maleſuada fames, & triſtis egeſtas,*
Pallẽteſq; habitãt morbi, triſtiſq; ſenectꝰ, *Terribiles viſu formæ, lethumq; laborq;*

Noſo-

Noſocomia inquam adibat, frequentiùs; an ſtudioſiùs, definire non auſim. Ibi vero tanquam in regno triumphabat *Humilitas*. Non vultum obducebat, non auertebat oculos, non manuleata, non manicata, non obſtragulis pellium manus irretita vel munita. non hæ inquam deliciæ. Neminem horrebat, *neq; mala quem ſcabies vel morbus regius* vrgeret. Solabatur ſingillatim, prēſabat etiam non minus ſerio, magis etiam beneuolè, quàm ſuos noſtrates Æſculapij ſolent ægros. Nunc vlcera auguſtis digitis contrectabat, nunc puris fætutinam ſuppurabat,

Nunc purgat vulnera lymphâ.
Nunc mulcet ſuccis, ligat inde, & vellera molli
Circumdat tactu, & torpentes mitigat artus.

Quid hic dicam? vt ad ſpectaculum hæſitauit aliquando oculus, ita nunc ad memoriam eorum facinorum calamus adhæreſcit. Cibum deinde Princeps inſtruebat ipſa, diuidebat: famulabantur annoſæ iam parentis more atq; exemplo, & priuatâ ſuâ pietate prolectati Sereniſsimi *Archiduces* :

Manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ (Filiæ Sereniſsimæ) *tonſiſq; ferunt mantilia villis.*

Pergit interim *Mater* auguſtior, & quadras, & lances, & obſonia ſubijcit, pocillatur, lectos poſtmodum non leui brachio adornat, verbo, ancillatur. Ijs etiam, qui à fortunâ vel miſeriâ peiùs multati ſunt, ſine teſte, aliud agens, operoſè, cautè, præter ordinem, pecuniam in ſinum conijcit, aut in manum: vt & ſuæ gloriæ, & alienæ ſimul inuidiæ vnâ fideliâ obſtruat *humilitas*. Deniq; non magis ſolicitè ſatagit Mater illa Virgiliana in refocillando ſui æneæ vulnere, *ſpargens*

Ambroſiæ ſuccos & odoriferam panaceam,

quàm in deſertis ac deſtitutis his mendicabulis ſolandis Archidux. Neq; hæc tantum ibi, ſed & domi egit ſemper Princeps, & à Sereniſs. liberis agi voluit. Tantum aberat à primo eius limine faſtus & ſuperbia,

Vitium rebus ſolemne ſecundis,
Virtutumq; ingrata comes.

Et his oculis Argi, huic circumſpectioni, huic animi demiſsioni, huic oculatiſsimæ fidei Chriſtum in ſuis pernoſcenti Pauoninus hic currus, & regiæ Iunonis quadrigæ vulgari de cauſsâ fabrefactæ ſunt?

NON TIBI DESIDIAS MOLLES, NEC MARCIDA LVXV
OTIA, NEC SOMNOS GENITOR PERMISIT INERTES.

Claudianus.

EMBLEMA XXI.



ET labor, & tenui ſpectata Modeſtia cultu,
Lunatas ducunt ad mea juſta Boues.
Hinc auro, hinc Tyrio creuit diuina ſupellex
Murice, & è gemmis ditior ara meis.
Hinc jucunda Deo, grata hinc ſpectacula Diuis,
Sacra mea paſſim ſtant monimenta manus.

Boues

BOues Lunæ ſacros olim extitiſſe, ijſque adeo bigas eius Deæ circumduci ſolitas (quamuis alij vt in fabulis, variant) teſtantur authores, ac cauſſa quidem illa è triuio peti poſsit, quod & Bobus & Lunæ communia cornua. Nã hæc modo pleno cornu lucida, modo obſcuro caligans & languens, modo bicornis, modo alijs, id genus coloribus effingitur. Placet tamen magis Catullus vetus & eruditus author, qui religionis huius cauſſam non obſcurè indicat.

Tu potens inquit, *Triuia & notho*
Dicta Lumine Luna,
Tu curſu Dea menſtruo
Metiens iter annuum,
Ruſtica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.

Igitur his Agricolarum ſtudijs, huic operi ruſtico ac frugali qui familiariores eſſe debent, quàm ij, qui quotidiè ferunt, &

Aratra jugo referunt ſuſpenſa juuenci?

Aut vllum potius pecus ſacrum eſſet arationis Principi Lunæ quàm Boues, qui veteribus illis ac pene Caſcis *Agricolæ*, qui à terendis ſubigendiſq; terris *Triones*, qui à colendo rure *Coloni* Catoni, ni fallor dicti ſunt; imò vero propè ciues eo nomine Romanis habiti, apud quos æquè aliquando capital fuit Bouem, ac ſuum colonum jugulaſſe. Iam hoc *Animal ſine fraude, doliſq;*

Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores, cuius virtutis potius, quam Modeſtiæ ac laboris ingenui typo detur? Viderunt priſci hoc Germani, vt notat Tacitus, ideoq; ad Sponſam mox ducendam Boum jugum præmittere ſoliti ſunt, vt maturè commonefacerent eam Nuptiarum auſpicijs ad ſocietatem laborum vnà mox cum Sponſo venturam. Ergo Bigæ hæ Modeſtiam vectant Archiducis. Modeſtiam, *cuius fama,* eodem Tacito authore, *nec ſupremis mortalium eſt ſpernenda.* Nec ſpreuit MARIA, ſed eam penè ex aſſe ſibi vendicauit. Quid enim vnquam commune illi cum vanitatis ac faſtus animalibus, mulierculis inquam, quas depingit Chryſoſtomus? *Quæ gemmâ bibunt, in oſtro dormiunt, in argenteâ ſpondâ recumbunt, auro onerant manus, ceruicem monilibus: quæ delectantur compedibus dummodo auro ligentur; non putant onera eſſe ſi pretioſa ſint, non putant vincula eſ-*

ſe ſi in his theſauri coruſcent, delectant & vulnera, vt aurum auribus inſeratur, & margaritæ dependeant. Quid in Archiduce ſimile ijs *apud quas*, perſequitur idem S. Pater, *habent & gemmæ ſua pondera, habent & veſtimenta frigora ſua. Sudatur in gemmis, algetur in ſericis.* Cum his tandem pomparum ferculis, in quibus excolendis plus olei ac operæ, quàm in Diuorum ſtatuis ornandis perditur, Archiduci commune nihil; ne tum quidem, cum velut altera Heſter, in cultu majeſtatis & gloriæ tacita ſuſpiraret. Cultus ſemper intra mediocritatem omnis fuit, maximè ab illo fatali diuortio, quod cum *Sereniſſimo Coniuge* mors ei fecerat. Ab illo labor omnis (nam hoſtis infenſiſsima inertis otij ſemper extitit) & induſtria, & colus, & fuſi, & ſtamina, & acus, & purpura, & aurum, & gemmæ ad ſacrificulorum veſtes, ad altarium ſupellectilem, ad cultum deniq; Sacrorum ex aſſe tranſlata ſunt. Vt nihil auguſtis illis manibus elaboraretur,

Siue leui teretem verſabat pollice fuſum,
Seu digitis ſubigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tactu;

nihil inquam his ageretur, niſi ſacrum mox futurum. Sed & eodem ſtylo Sereniſsimæ Archiduces apud Matrem

Aut ducunt lanas, aut ſtamina pollice verſant,
Aut hærent telæ, famulasq; laboribus vrgent,

ſacris vero, ac Deo antè deuotis. Atq; hinc factum, vt nullæ, nullæ Diuorum ædes Græztij, nullæ in harum Prouinciarum vllis ciuitatibus, paucæ etiam in pagis fortaſsis obſcurioribus reperiantur, quæ non præſeferant & venerentur auguſtæ illius Archiducalis manus monimenta. Taceo vicinas prouincias, ad quarum Templa cohoneſtanda, ijſdem ſe bigis hæc vel induſtria, vel beneficentia prorogauit. Vt merito miraculo multis fuerit, tam ſui ſplendoris ac cultus, vt ita dicam, negligentem Principem, cumulando ſacrorum apparatui tam effuſè ſtuduiſſe. Fuerit ergo in elogijs Olympiadis, quod maternis manibus chlamidē, & cætera Imperialia ornamēta Alexandro filio texuerit atq; adornarit: certè in immortalibus noſtræ Principis laudibus ea ſemper eniteſcet, quòd illius auguſtis operis Sacroſanctæ ac religioſiſsimæ Numinis aræ ac Templa vbiq; conueſtita, nouam lucem ac dignitatem, non mutis Marianæ virtutis argumentis oſtentent.

PAVLATIM ADNABAM TERRAE,
IAM TVTA TENEBAM.

Virgilius.

EMBLEMA XXII.



V Iderat inſanos vndis ſubſidere montes,
Viderat inſanum ſurgere ad aſtra ſalum:
Quid faceret mœſta & dubijs conterrita rebus?
Captaret Zephyro velificante polos.
Fauerunt ſuperi, & quotquot ſuſpiria cœlo
Miſerat, hæc velis reddita ventus erant.

Prin-

PRincipis iam in mortem inclinantis ſymbolum habet Nauis in portum feſtinans. Mare Mundus, quia ſecundum D. Ambroſium, *habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationũ, tempeſtates tentationum, habet homines, velut piſces de ſuo malo gaudentes, & tanquam ſe inuicem deuorantes.* Nauis in hoc pelago, Prætoria quidem Eccleſia, *Quæ,* ait Chryſoſtomus, *nauigat inſtructa fidei gubernaculo, fœlici curſu per ſeculi huius mare, habens* DEVM *gubernatorem, Angelos remiges, portans choros hominum ſanctorum, erectâ in medio ipsâ ſalutari Crucis arbore, in quâ Euangelicæ fidei vela ſuſpendens, flante Spiritu Sancto ad portum paradiſi, & ſecuritatem quietis æternæ deducitur.* Sed & Nauis Anima quæque fidelis, interprete D. Hieronymo, *Nauis,* inquit, *inſtitoris quæ tranſit deſiderio fluctus ſeculi præſentis, ſolaq; ſe in cœlis accipere ſperat æterna gaudia, & pro his abundantius adipiſcendis quicquid valet inſtanter agere, quicquid aduerſum occurrit fortiter ſuperare contendit.* Ita generoſa Nauis velificatur in altum, dum delicatis ac inutilibus cymbis circumuecta ſocordium ac ignauorũ

Pars cætera, pronâ
Fertur aquâ, ſegnisq; ſecundo defluit amni.

Atque his quidem nulla extremæ ſtationis capiundæ cupido; imò metus ingens & horror, cum malè ſibi conſcia mens, triſtiſsimi in ipſo portu naufragij præſagium ſibi ipſi renunciet. Vnde fit vt cum è vitâ migrandũ, nõ aliud his vſuueniat quàm fucis aut apibus, quas cũ in pumice latebroſo Paſtor veſtigauit,

Fumoq; impleuit amaro,
Illæ intus trepidæ rerum, per cerea caſtra
Diſcurrunt, magnisq; acuunt ſtridoribus iras.

Non ſic Archidux, ſed *deſiderijs* iam pridem *icta fidelibus*, & tandem etiam fatali morbo mortis optatæ fæciali intercurrẽte, tanquam imminentis tempeſtatis admonita, totâ ſe mentis ac pietatis contentione ad maturam exſcenſionem; imò aſcenſionem in portum ſalutis faciendam comparans, ſpem ac deſiderium ſuum diuinis hiſce Regij Vatis verbis identidem reſpirandis, vel teſtabatur, vel inflammabat, vel vtrumq;. *Spero* inquit, *Spero videre bona Domini, in terrâ viuentium.* Et hi videlicet Sacri Zephyri, hæ piæ aſpirationes, hi arcani afflatus erant quibus ad

expetitam illam ſtationem beatitatis auida mens annitebatur: inſtar Nauis inſtructiſsimæ, quæ *Agmine remorum celeri, ventisq; vocatis*

Prona petit maria, & pelago diſcurrit aperto.
Qualis ſpeluncâ ſubito commota columbâ
Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plauſumq; exterrita pennis
Dat tergo ingentem, mox aere lapſa quieto.
Radit iter liquidum, celeres neq; commouet alas.

Talis MARIA ferebatur ad humanæ vitæ littus extremum, quod *Mortem* appellant. Et horrorem omnem mortis iam antè diuturnâ, vt opinor, conſuetudine depoſuerat. Quod vt in animum inducam, facit Veſtis illa arcana Diuæ Claræ more atque inſtituto facta, quam accuratâ atq; exactâ dudum cuſtodiâ concluſam habebat Princeps, quam annis ab hinc aliquot (neque enim obſeruatum eſt, cum eam primum ſibi religionē fecit Archidux) in arculâ inexorabilibus clauſtris obſeratâ, quocumq; tandem terrâ mariue pergeret ſecum circumferebat. In hac igitur Veſte, non animum modo Religioſo ordini pridem ex voto tacito mancipatum recognoſco, ſed & in eadem ſpeculum mortis Archiduci certum ac ſtatum fuiſſe auguror. Quod enim MAXIMILIANVM I. Auſtriacum Romanorum Imperatorem ferunt, triennio circiter ante mortem capulum funebrē è ligno querno ſibi comparaſſe, idque arcâ viatoriâ quacumq; iter faceret circumuexiſſe, vt hoc ſe aſsiduo ſpectaculo ad mortis cogitationem identidem reuocaret: Id Archiducem noſtram in ſuâ illâ Religiosâ veſte, (in quâ rebus humanis, pariter ac vitâ defungi ſtatuerat) æmulari voluiſſe non ambigo. Itaq; multis ea ciſtula paſsim imponebat, qui cum eam adeo cordi eſſe MARIÆ obſeruarent, Tantali in eâ talenta latitare ſuſpicabantur, cum interim in illâ vnum ſuæ mortis inſtrumentum ac ornamentum frequenter ac conſtanter Archidux intueretur, atq; ad hoc ſpeculum meditabunda, de vitæ periodo ſeſe ſubinde cōmonefaceret, & has deniq; adamatas exuuias oſculata ſupiraret;

Accipite hanc animam, meque his exſoluite curis.

Et feciſſent, exſoluiſſentq; MARIAM principatu maturius, niſi ſtudium hoc intempeſtiuum charitas patriæ, tanquam fortem cuneum fortior cuneus aliquamdiu ſuſtinuiſſet & prorogaſſet.

VE-

VENIT ENIM TEMPVS, QVO TORRIDVS ÆSTVAT AER.

Tibullus.

EMBLEMA XXIII.



DVm Boreas campos niuis, & ſiſtentia verrit
Flumina, congeſtâ in pelle latere juuat.
Spiret Olympiaco flagrantior Auſter ab axe,
Tunc etiam endromidis membra grauabit onus.
Hinc MARIA excutiens graue ſyrma, probabimus inquit,
Menſne etiam poſito corpore flagret adhuc.

Quod

QVod Principem exuens Sanctimonialis mori voluit Archidux MARIA, id oſtendit Poeta referendum ad vitalem diuinioris Auſtri ſuggeſtionem, & quaſi auram, quâ ſuauiter aſpirante & mentem diuinis flammulis incitante ſchema vniuerſum Religionis aſſumpſerit, ſeſeq; eo cultu ad Sponſi Chriſti occurſum inſtruxerit, nihilo ſegnius, quàm filiam

Spe propiore thori mater ſolertior ornat
Adueniente proco, veſteſq; & cingula comit
Sæpe manu, viridiq; anguſtat cuſpide pectus,
Subſtringitq; comam gemmis, & colla monili
Circuit & baccis onerat candentibus aures.

Porro Argumentum eſt ab hoc Apologo: Certatum aliquando inter Apollinem & Boream, vter expeditius hominem veſtibus enudaret. Ventum ad periculum faciundum. præit hic, Viatorem aggreditur & furit tantus, quantus

Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris
Incubuit, Scythicaſq; hyemes atq; arida differt
Nubila.

Mox itaq; capite mitellã, mox humeris petaſum aut penulam, mox etiam interulas deripere lateri contẽdit, at fruſtra eſt. Quia enim ſtatim ac ſimul per vngues frigus *Labitur, & pallent amiſſo ſanguine venæ,* rei ſuæ ſatagit, de cuius corio ludebatur viator, & frigidiſsimo Boreæ afflatu cohorreſcẽs pro viribus contrà nititur, & quo ſua magis euolare velle ſentit, eo ſtrictiùs ea ſibi apprimit. Et iam eâ contentione fractus deſponderat animum Boreas, cum Apollo ſagittis ignitorum radiorum rem eminus orditur,

Inde loci ſequitur calor aridus, & comes vna
Pulueruleuta Ceres.

Incaleſcit hominis paullùm caput, & leuiter defricatur. Pergit Sol, iam qualis quantuſq; videri vult, cum

In vaſtos ſurgit Nemeeus hiatus
Exoriturq; canis, latratq; canicula flammas,
Et rapit igne ſuo geminatq; incendia Solis:
Qua ſubdente facem terris radioſq; mouente
Dimicat in cineres orbis, fatumq; ſupremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in vndis.

Hinc vero, hem! ardet iam & fumat vertex hominis, & fauces, & humeri, & corpus deniq; vniuerſum. Fit languor anhelus, & ſudor, & graue iam ſibi pondus homo; ne dicam veſtis. Ergo, reijcitur penula, ventilatur vertex, fluunt membra, toga ſegregatur, ſinus ſoluitur, & deſperatâ iam viâ viator in æſtu proſpectat vmbraculum.

Sic paſtor vmbras cum grege languido
Riuumque feſſus quærit, & horridi
Dumeta Syluani.

Ita penes ſolem ſolemnis Victoria. Quod illîc Apollo, hîc Auſter, germanus eius ardentis ac ſudantis Spiritus. Quorſum

vero

vero & hic ? Auſter Spiritus ſanctus. Ita Auguſtinus: *Flauit Auſter Spiritus Sancti, dimiſſa ſunt nobis peccata, ſoluti ſumus à frigore iniquitatis, tanquam glacies in ſereno.* Nec tantum frigus expellit; ſed & vbi terram perflat veſtimenta calida facit: Teſte B. Iobo. *Quod agitur,* inquit Gregorius, *quia hi qui ei per fidem inhærent, feruentibus charitatis ſtudijs inardeſcunt, dum eorum mens Sancti Spiritus afflatu perfunditur.* Denique non ſolum veſtimenta calefacit, ſed & decutit pennas ipſas exuuiaſque veteres; nouas inſerit. *Quid enim eſt,* ait Gregorius, *Accipitrem in Auſtro plumeſcere, niſi quod vnuſquiſq; Sanctorum tactus flatu Sancti Spiritus concaleſcit, & vſum vetuſtæ conuerſationis abijciens noui hominis formam ſumit? quod Paulus admonet dicens, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum.* Hæc videlicet Auſtri Victoria depingitur, hic triumphus. Age porro, nonne totam hanc auſtralem vim, diuini inquam amoris afflatum paſſo ſinu videbatur Archidux excepiſſe, cum & *veterem hominem,* & Principem, & Heroinam exueret, cum perſonam illam majeſtatis plenam, cultum quoq; illi conſentaneum, tanquam inanium ventorum pennas abijceret ? Equidem qui rite id agit, is ni fallor ſacri Pneumatis

Flammâ propiore caleſcit,
Non aliter quàm cum ſummis circumlita tædis
Admotas rapiunt viuacia ſulphura flammas.

Quid quod & adeo *nouum* vt loquitur Apoſtolus, *hominem induit*; cum rebus humanis valefactis, Votiſque Paupertatis, Caſtimoniæ, Obedientiæque rite nuncupatis, Deo O. M. ſeſe in Diuæ Claræ inſtituto deuouit & conſecrauit ? cum vilem & deſpicabilem; religioſum tamen amictum & velũ accepit ? Sanè qui cœleſtem quendam æſtum ſpirantem in his non perſentiſcit, is adamante frigidior, nullum etiam ardorem experietur, vbi flagrat zona illa

Semper ſole rubens & torrida ſemper ab igni.

SENSVM A COELESTI DEMISSVM TRAXIMVS ARCE.

Iuuenalis.

EMBLEMA XXIV.



Sidereos peregrina ſtatim ventura ſub orbes,
Sidereos iam nunc ventilat ore modos.
Quemq; ardet totis CHRISTVM *mens vſta medullis,*
Hunc vocat incuſſo lingua diſerta Deo.
Occipe iam cœlo cognatum mittere carmen;
Mox aduentanti quod tibi reddat erit.

Deſcen-

D*Eſcende cælo, & dic age tibiâ*
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mauis acutâ,
Seu fidibus cytharáue Phœbi:

Diuinum enim omnino melos nobis hîc audiendum. Ac vetus quidem olim dubiũ fuit de Linguæ in partibus corporis humani dignitate; cum eam alij membrorum Principem, adeóque optimam hominis portionem eſſe contenderent; alij peſſimam; alij, in quorum ſententiam Aeſopus quoq; claudicauit, vtrumque affirmarent. De illo tamen dubitari nullo vnquam jure potuit, in Linguâ recte inſtitutâ atq; excultâ, præcipuam penè hominis laudem verti, eoq; nomine ſtudij plurimum in eam expoliendam adhibendum eſſe. Quod & veteres opinor ſolemni eâ religione quæſiuiſſe, quâ Linguas Mercurio facundiæ probæ Antiſtiti adolere olim conſuêrant. Enimuero quod illi nequicquam quæſiuerunt, Seruator ſuis Diſcipulis diuinitus impertiuit, quando *linguis igneis* ſupra cuiuſq; ceruicem ſingillatim aſsidentibus, afflati ſunt Spiritu ſancto & *cœperunt loqui magnalia* D*EI*. ceperunt inquam, qui enim talia fando unquam præiuiſſet, nemo vllus. Illo itaq; ſymbolo cœlitus dato, cœleſtem atq; ardentem orationis vim ſignificatam, & credimus omnes, & docuerunt Sancti, & ſcilicet ſenſit aurea illa ac fœlix ætas. Simili ergo ingenio atq; argumento à ſupremis ſuis verbis laudatur Archidux. Ventum iam erat ad auguſtæ Tragœdiæ cataſtrophen, & exactis vitæ quinquaginta ſeptem annis, & quod excurrit, Mariana anima morbo deducta ſenſim fugiebat, cum Patrem qui dimicanti aderat, contentè rogauit Princeps, vt ſibi in illâ oratione, *Anima* C*HRISTI ſalua me,* percurrendâ precando ipſe præiret. Dictum benè, factum fœliciter. Mens quæ ſupremùm hoc cõnixa erat, vt quaſi paſsibus æquis diuina illa verba ſequeretur, paullo poſt acquieuit:

Veluti in ſomnis oculos vbi languida preſsit
Nocte quies, nequicquam auidos extendere curſus
Velle videmur, & in medijs conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba ſequuntur.

Hanc igitur precationem, quàm Cycneâ voce extremam modulata eſt Princeps, oſtẽdit Poëta ab eius afflatu ac munere profectam, qui ſuos olim linguis igneis imbuit. Spiritum ſanctum intellige, à quo, & priuatâ ſuâ religione, & publico cultu impenſè ſemper ei habito gratiam hanc inijſſe viſa eſt Archidux. Ab arcanâ ſuggeſtione illius hauſta illa diuina verba, *Anima* C*HRISTI*. Tàm certum ac tutum bonæ ſpei fulcrum, tàm clarum vitæ beatioris vaticinium, tàm ſuaue deniq; ac jucundum beati illius, qui inter ſuperos vſurpatur, idiotiſmi rudimentũ ea præſeferunt. Quæ enim in illo fatali diſcrimine tutior aſſumi poſsit teſſera, quàm quæ ab Animâ, corpore, ſanguine, vulneribus, morte CHRISTI? Iam vt ex longæ jactationis tumultu reſpirãtes Nautæ portum ſuauiter conſalutant, terram acclamant, ita cœlum; imò CHRISTVM prenſantis celeuma videtur habuiſſe illa precatio, ſub cuius verba Archiduci *Omnis corde reſedit*

Triſtitia, affixiq; animo ceſſere dolores.
Nec minus hæc læti trahimus ſolatia, quàm ſi
Præcipiti conuulſa Noto proſpectet amicam
Puppis humum. Sed & cœleſtium quoddam tyrocinium ſuſpiriorum aut hymnorum hæc ſpirant, aut ſonant, *Anima* C*HRISTI*. *Mox vbi pulſa mora eſt, atq; os cœleſte ſolutum,*
Hoc ſuperos jures more ſolere loqui. Auſimque ego dicere, ſi quis illâ quam celebrat Apoſtolus *Angelorum linguâ* loqueretur, nihil auguſtius ac ſanctius edicturum. Valeat ergo fœlix hæc loquendi clauſula, ad conciliandam Marianæ beatitatis opinionem, ſed & ad eximiam eius commendationẽ valeat. Fuerit Veſpaſiano Cæſari ad memoriam ſempiternam illuſtre, quod Imperatorem ſtantem emori oportere reſpondit, ſanè apud Catholicũ diſcriminis illius, quod in vitæ ac mortis confinio controuertitur, æquum æſtimatorem, illud ſemper potius ac glorioſius erit, non ſtantem, ſed ſuaui ardentiq; oratione aſpirantẽ CHRISTO atq; anhelantẽ Archiducem obijſſe: & ad Animam CHRISTI magno ſempiternæ beatitatis præſagio abijſſe ſuſpirantẽ: Qualis *Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ,*
Cantator cycnus funeris ipſe ſui.

SEQVOR ET QVA DVCITIS ADSVM.

Virgilius.

EMBLEMA XXV.



VRget amor prolis terræ conuexa tenentis;
Degentis cœlo ſed magis vrget amor.
CAROLVS accedit, quondam tua cura, ſimulq́;
Totus ab his ſuperûm ſtat chorus; imo DEVS.
Et dubitas terris hinc, inde vocantibus aſtris,
Cui des ducendas Penelopêia manus?

Pene-

PEnelope laudatiſsimæ fidei ac integritatis femina, Vlyſsi iam nuptui tradita, hæſitaſſe fertur aliquantum, cum inſtaret hinc Coniux Vlyſſes Sponſam domum ducturus, inde filiam amantiſsimi patris aſpectus retineret. Vicit tamen in illo pudoris & amoris biuio Sponſi charitas, & fatale illud ab Adamo, penè iam tum vxorio proditum oraculum: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam.* Itaq; obuoluto capite, ſiue dolorem Sponſo ducenti, ſiue frontem patri retinere molienti nollet eſſe conſpectam, manus coniugi dedit, patriâ exceſsit domo, in Ithaceſium ſeſquipedalis Inſulæ regnũ dotale commigrauit Heroina. Simile quid, quoad fas, Emblema hoc inducit. Pependiſſe pauliſper ancipitem animi in illo vtriuſq; vitæ limite Archiducem, cum ſex hinc proles cœlo receptæ (quis enim alius eius ætatulæ innocentiam caperet locus?) ad ſuas ſedes inuitarent; nouem inde aliæ, quæ in viuis ſuperſtites, amantiſsimam parentem extremâ quaſi charitatis ac beneuolentiæ laciniâ prenſando morarentur. Nec vero dubium eſſe poteſt vlli, qui maternos aliquando ſenſus aut explorarit, aut obſeruarit, quin pro incredibili in ſuos charitate ſeceſsionem illam, eo quo matres ſolent animo tulerit. *Si enim* (de Heroinâ loquitur Chryſoſtomus) *lapidea quidem fuiſſet, & ſi viſcera adamante compacta geſsiſſet, ita forte potuiſſet inconcuſſa durare; & nihil eorum ſentire, quæ & mulierem, & matrem perpeti ipſa vis naturæ pietatiſq; cogebat.* Verum Archidux & mulier natu, & mater affectu maternos ſenſus non excludebat:

Neq; enim de tigride nata,
Nec rigidos ſilices, ſolidumue in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit, nec lac bibit illa leænæ.

Sed probè conſcia tanto ſe ſemper amore, veneratione, cultu apud *Sereniſsimos* liberos floruiſſe, quanto paucæ vel veteris, vel ſuperioris æui matres apud ſuos floruerint, ferebat etiam fortè grauiùs, quàm aliæ vulgo matres ſolent, eius incredibilis iam ſibi obſeruantiæ fructum jucundiſsimum intercipi. Accedebat

& Sereniſsimi Ferdinandi Archiducis pro Cæſare Rodolpho in Comitijs Imperij Ratiſponæ agentis abſentia primùm, deinde deſiderium, & hoc fruſtra. Prætereo caneſcentis auiæ delicias penè lactentes adhuc, Sereniſsimum Ioannem Carolvm Infantem Sereniſsimi Ferdinandi filium, qui cùm *Matris è gremio ſuæ Porrigens teneras manus* blandiretur, & extremùm ſalutantes voculas mitteret, Archiducis iam penè exhalantis liqueſcebat ſcilicet animus:

Jgnibus admotis vt noua cera ſolet. Prætereo demum reliqua, ad quæ niſi molleſceret mens, videretur

Durior & ferro quod Noricus excoquit ignis,
Et ſaxo, quod adhuc viuâ radice tenetur.

Quomodo igitur, ait Chryſoſtomus, *Mater hæc ſpectans eleuauit vultum ſuum, & os aperuit, & linguam mouit in verba, non in verba materni doloris affectu mollia, ſed verba virtutis?* fecit tamen. Momentum enim, inquit Poëta, attulit victoriæ & memoria, & deſiderium Caroli conjugis bonâ ſpe inter ſuperos viſendi, & ipſi deinde cœlites, & Devs deniq; ipſe, qui beatularum illarùm mentium cauſſam euincentes, Archiducem miſsis mortalibus ad Immortalium cœtum rapuerunt. Et gnara erat probè Princeps, non eſſe eum Christo dignum, qui

Dulces natos exoptatumq; parentem illi præferret. Itaque ſiccis vna inter omnes collacrimantes oculis Sereniſsimæ familiæ ſingillatim beneprecata: *Nulla res*, inquit cum Auguſtino, *in viâ tenere nos debet, ſed tranſire, ne rebus temporalibus quamuis ab illo pro ſalute noſtrâ ſuſceptis & geſtis hæreamus infirmiter, ſed per eas curramus potius alacriter, vt ad eum peruenire mereamur.* Hac mente vt cum Chryſoſtomo concludam, *Carnem ſuam choro filiorum* (& filiarum cœlo degentium) *coaptans, ad deſiderabilem Jesvm, pullos ſuos, vt Aquila ſubſequens euolauit.*

DV-

DVRAE RAPIT INCLEMENTIA MORTIS.

Virgilius.

EMBLEMA XXVI.



SVrda ſit & cautes, & cœcæ tigridis iræ,
Sit licet & rabidi vis furioſa freti.
Hanc Zephyri mulcent, componitur illa receptis
Pignoribus, ſcopulos vnda manusque domant.
MORS habet indomitos precibuſque miniſque furores:
Et ſaxo, & pelago, & tigride ſæua magis.

Parcas

PArcas in quarum colos, licia, ſtamina, forfices, vitæ neciſq; mortalium ius omne tranſtulit Iupiter, inexorabiles eſſe profana finxit antiquitas. Cum enim

Certo veniant ordine Parcæ,
Nulli juſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptum proferre diem, Sed

nec *Lanificas ulli exorare ſorores* fas eſt: *Quæ ſtatuere diem* ad amuſſim *obſeruant*. Atq; hoc ingenio Mortem omnis vt ita dicam hominis expertem, & pictorum pingunt pueri, & alij fingunt artifices. Caret auribus, ne precantes obaudiat, caret oculis, ne lugentium miſeratione moueatur, caret fronte ac genis, ne ſæuitiam ipſa ſuam erubeſcat, caret linguâ ac labijs, ne ſolatiolum aliquod vocale ab eâ expectes, caret deniq; carne, vt humanitatis ſenſu careat: Soli nerui & artus & muſculi, ſola oſſa ſuperſunt, arcus videlicet & ſagittæ, ſpicula & amenta ad miſeros mortales ex deſtinato cōficiendos. Et ſanè ſi quādo, tunc maxime eâ ſe feritate oſtentauit, adeoq; Orbi inſultauit ea Bellua, cum Archiducem, quam omnium vota vivere cupiebant, cui de ſuis annis ſinguli quicquam libentes tranſcripſiſsent, in cuius incolumitatem ferreum, ſi fas dicere, cœlum precibus omnium ordinum obtundebatur, cum eam inquam, optatiſsimā Principem inexorabili decreto ſuſtulit. Tum videlicet, quæ toties antè cladem hanc minitata, piorum tamen precibus ſubmota fuerat, ferocior tandem irâ redijt, & fruſtrà gementibus, deprecantibus, frendentibus omnibus in vitâ Principis dirè pertragœdiata eſt. Heu! Sæua!

Tua ſunt ſilicis circum præcordia venæ,
Et rigidum ferri ſemina pectus habet.
Quæq; tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix vbera Tigris erat.

Atq; hinc demum ſtillantes adhuc juſtæ lacrimæ & mæror legitimus, & querelæ quotidianæ, & æterna deſideria non *Sereniſsimorum* modo *Archiducum*; ſed Religioſarum familiarum, ſed palatinorum officiorum, ſed omnium ordinum ac ætatum,

ſed

ſed vrbium, ſed prouinciarum Principem hinc ſuam deplorantium; Mortem inde incuſantium:


Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium, tibi nulla fuit Clementia præſto? Nam *quorum*, ait Auguſtinus, *nos vita propter amicitiæ ſolatium delectabat, vnde fieri poteſt, vt eorum mors nullam nobis ingeneret mæſtitudinem? quam qui prohibet; prohibeat ſi poteſt amica colloquia, interdicat amicabilem ſocietatem, vel interdicat affectum omnem humanarum neceßitudinum, vincula mentis immani ſtupore dirumpat, aut ſic eis vtendum cenſeat, vt nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod ſi fieri nullo modo poteſt, etiam hoc quo pacto futurum eſt, vt eius nobis amara mors non ſit, cuius dulcis eſt vita?* Iam ſi Principis vita populis etiam vtilitati, ornamento, decori ac penè ſaluti fuit; eiuſne mors vlli non amara eſſe potuit? Fuit, fuit, eritq; vereor, diu, niſi monitum illud Hieronymi vel maturè, vel tandem audiamus. *Non debet*, ait, *nobis luctum incutere quiſquam, cum à peregrinatione redire meruerit ad propriam regionem, maximè cum non inanis & vacuus redire noſcatur, qui Chriſtianitatis mercatus eſt lucrum, propter quod deſcendit ad mundi commercium.* Hæc inquam cogitatio frenum dolori ponere, ſi vlla, poteſt aut debet: quanquam penicillo ſermonis lacrimas hic non abſtergo, ſed quod de Valentiniano ſuo Ambroſius, id de Archiduce MARIA pauculis verbis commutatis poſtulo, ne quis infixam pectori Principem vel duris gemitibus releuet, vel auertat planctibus, vel requieſcẽtem excitet. Illa ſuis maneat in corde, illa viuat in pectore, illa amplexibus pijs hæreat, illa memoriæ vitâ viuat & floreat:

Lucida dum current annoſi ſidera mundi,
Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem.
Lunaque dimiſſos dum plena recolliget ignes,
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus.

SIGNAVITQVE VIAM FLAMMIS.

Virgilius.

EMBLEMA XXVII.



Diuinas pede tam facili mirabar inire,
Quæ fuerat M*ARIÆ mens generoſa, domos.*
Aurea ſed propius luſtrans veſtigia, cerno
Ludentem ignito tendere ad aſtra globo.
Jnuocuas mirabar adhuc alludere flammas:
Rem cœpi; æterni, hic Pneumatis ignis erat.

Spem

SPem omnibus paſsim obortam de Archiducis beatitate, Emblemate hoc Poëta ſequitur. Ac priſcus quidem vel adulationis aduerſus ambitioſos vel gratitudinis aduerſus benemeritos Principes vſus ac ſtudium fuit, vt eos, vbi deuixiſſent ſolemni religionis pompâ ac ceremoniâ (*Apotheoſin* appellabant) in Deorum numerum referrent. Eius beatæ migrationis atq; inaugurationis teſſeræ alijs aliæ. Nonnullis Aquila, Pauo alijs huiuſmodi ſymbolum fecit. Huius quippe generis aliquid, ingenti proſequente plauſu, mos fuit è ſummo faſtigio emittere, cum elatum iam & compoſitum cadauer in funebri ſuo ſuggeſtu jaceret, adeoq; coniectis facibus flammam ipſa pyra conciperet. Et grande ſcilicet hoc & auguſtum animæ ad Heroas, Deorumue minorum concilium euolantis myſterium habebatur. Sed & huiuſmodi argumento fœcundus ille Poëtarum Genius, neſcio quos flammarum lapſus, quos aſtrorum exorientium tramites, quas ſiderum nouas expectationes excogitauit, quibus quaſi Iouis quadrigis *auræ diuinæ particula mens* ad patriam repedaret. Talis erat apud Claudianum ille, cui ſubeunti

Machina laxatur cœli, rutilæquē pateſcunt
Sponte fores. Arctoa parat conuexa Bootes,
Auſtrales reſerat portas ſuccinctus Orion,
Inuitantq; nouū ſidus, pendentq; viciſsim
Quas partes velit ille ſeq, qbus eſſe ſodalis
Dignetur ſtellis, aut quâ regione moueri.

Et hæc illi. Nobis qui Chriſtianas veriores ac ſeueriores Muſas colimus, nobis dicô, non licet eſſe tam diſertis, vt pro vanâ libidine vanitatis, cœlos aut reſeremus aut obſtruamus. Dedit tamen ſæpe DEVS (cuius vnius jus omne eſt in cœlos) Chriſtianæ, ſi fas ita loqui, *Apotheoſeos* ſymbola magnifica, illuſtria. Quorſum enim alias pertinent, & peregrina diuinorum odorum fragrantia; & auguſtiores vocibus humanis ſymphoniæ, quas diuino beneficio Diuis hominibus adhuc moribūdis præluſiſse, vel iam mortuis parentaſſe legimus? Quorſum id, quod migrantes mentes nonnunquam *Columbæ candidæ*, nonnūquam *ignei Globi* ſpecie, jucundiſsimo certiſsimóq; tuentium ſpectaculo cœlos penetraſſe accepimus. Quorſum tramites illi auguſti, quos nonnullæ fœlices Animæ tranantes æthera viſendos ſuis reliquerunt?


Qualis ab imbre ſolet percuſſus ſolibus arcus,
Inficere ingenti longum curuamine cœlum,
In quo diuerſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.

Quorſum demum alia Diuorum ſeſe ad ſupera Mundi Templa attollentium ſymbola; niſi ad melioris Apotheoſeos argumenta, profanis illis tanto & veriora, & ſanctiora? Vt vero nihil dicam hîc de Orthodoxâ Catholicorum religione in hominibus inter Beatos aſcribendis, hoc tamen dico, etiam vbi ſplendidiora illa deſunt, aliam etiam nobis Apotheoſeos bene ſperandæ rationem ſupereſſe. Hæc porro eſt: quòd *Bonam vitam, Bonamq; mortem, bona beatitudinis opinio comitetur ac conſequatur.* Bonâ inquam Vitâ, & Bonâ Morte, tanquam alis duabus fulta mens ad aſtra nititur: *Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis*
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine lunæ
Omnia peruolitat late loca, jamque ſub auras
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti. Atque huius Apotheoſeos animo concipiendæ authores nobis Auguſtinus, Ambroſius, alij Sancti. *Mala mors,* inquit ille, *putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit.* Hic vero; *Non habemus quod in morte metuamus, ſi nihil quod timendum ſit vita noſtra commiſit.* Audi & Pſalten: *Quoniam cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini.* Sed & Apocalypticum Angelum: *Quoniam Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Hæc ſecutus Poëta, vitæque præclarè per Archiducem actæ atque exactæ memor, ſublatam Eam æthere, pio præſagio decantat: luſtrante animã ac veſtigia lambente Igne illo cœleſti, de quo Auguſtinus *Dono,* inquit, *tuo accendimur, & ſurſum ferimur, inardeſcimus & imus, igne tuo bono inardeſcimus & imus, quoniam ſurſum imus ad pacem Hieruſalē.* Summa. quò totâ piæ cogitationis, & ſtudioſæ actionis deſtinatione dudum ferebatur in viuis Archidux, eò iam tendentem illam & anhelantem bona ſpes intuetur, *Agnoſcitq; per vmbram*
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam.

SPISSIS NOCTIS SE CONDIDIT VMBRIS.

Virgilius.

EMBLEMA XXVIII.



IBat in inuitæ damnoſa ſilentia noctis
    Princeps, ſi probrum hoc paſſa Diana foret.
Vidit, & exiliens, noſtris ait, vtere plauſtris :
    Egiſti noſtras ſæpius antè vices.
Namquoties ægrâ Lucinam voce vocantes,
    In te ſenſerunt Numen adeſſe nurus ?

Mira,

MIra, ſuiq; ſemper ſimillima tum in totâ vitâ, tum in morte Archiducis humilitas. Mira inquam, non modo, quia honorata; ſed & quia ſibi tunc etiam conſtat, cum nullum ſuperbiæ periculum; ne dicam locus. Ab eâ Virtute juſsit Archidux exuuias ſuas nocte concubiâ pauculis deducẽtibus, vnâ alteràue face prælucente, obſcuro atq; obducto carpento in ædes *D. Claræ* tumulandas deportari. Iuſsit, & diſtrictè. & religio fuit à ſupremis eius imperijs diſcedere. Itaque vel emortua voti ſui, hoc eſt humilitatis adamatæ compos euaſit. Quo vero ſtupore mortalium? Cum alij (quod in ſuæ Paulæ funere deſcribit Hieronymus) Epiſcopos manibus eam transferentes, ceruicem feretro ſubijcientes, Pontifices alios ac Prælatos lampadas cereoſq; præferentes, alios pſallentium choris præſidentes, turbas deniq; lacrimis & mœrore diffluentes animo deſignaſſent: alij etiam auguſtam defunctæ majeſtatem grauiter æſtimantes *Maiorum* auitas imagines, & regia gentis vtriuſque ſtemmata, & pullatos Palatinorum cuneos, & Sereniſsimos vero luctu palam atratos, & totam deniq; funerum auguſtalium pompam cogitatione iam ſecum traduxiſſent. At hæc omnia excluſa voluit ſui ſemper memor humilitas. Totũ id officij genus nocti ac ſilentio commiſit. In eam ergo noctem Archiducali funeri obſcurè parentantem Poëta reſpiciens, Dianæ bigas Principis memoriæ aſcribit. Neq; id temerè. Noctiuaga enim Diana, *ſilentium* auctore Venuſino, *moderatur*, eadem omnium vulgo mulierum obſtetrix credita, quæ *laborantes partu puellas ter vocata audit lethoque adimit*, quæ leuandis partubus

Lucina dolentibus,

Juno dicta puerperis exoratur: quæ quod omnia naſcentia in lucem euocet, *Lucina* communi conſenſu nuncupata. Porrò ad huius Deæ vehiculum aureum candidas Ceruas iunxit Callimachus; quem ferè ſecutus Claudianus canit: *Dixit*, (Diana) *& extemplo frondoſâ fertur ab Alpe*

Trans pelagus: Cerui currum ſubiere jugales. Nec obſcura ratio, cur in eius Deæ tutelâ, cur ad eius habenas & ju-

 gum

gum id genus animantium alligetur, cur ſimulacra, cur numi illius cum Ceruis, cur denique *cornibus ara frequens* illi poſita. Non obſcurum inquam. Nam *Nemorum Latonia cuſtos*; imò vero eo fato edita eſt,

Montium Domina vt foret,
Syluarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque ſonantium.

Eadem quoque, ſi Homero fides, per juga montium oberrans gaudet telis ac ſagittis, capreis ac fugacibus Ceruis delectatur. Taceo quod Ceruas magnam partus difficultatem pati notarunt nonnulli, vnde egregiâ ijs Lucinæ ope opus: quod latebras ac tenebras eæ pariturę ſequuntur & captant, vnde nonnulla quoq; ijs cum tenebrarū ac noctis reginâ Dianâ ineunda gratia. Sed his miſsis, gemino meritiſsimo nomine Dianæ Bigas funeri Principis attributas aſſeuero: vtpote quas & nox ipſa vindicarit, & multo magis illuſtris atq; inaudita quædã Archiducis in parientes beneuolentia? facilitas? officium? opera? quo enim nomine tàm propenſa Principis in id genus laborantium ſtudia compellem, equidem ambigo. Sanè vt à Lucinâ parituræ quondam, ſic ab huius Principis præſentiâ ſolatiū, à memoriâ beneficium puerperæ penè hîc omnes nuper expoſcebant. Nec votis inanibus. Cui enim vel viliſsimæ mulierculæ vocata recuſauit præſentiã; conſilium; etiam, ſi peterentur, vlnas & manū? aut quas non in viliſsimas caſas, omiſſo aulæ miniſterio cum familiaribus Matronis ad ſignum & votum aduolauit; vt ſe, vel obſcuriſsimæ cuiq; matriſamilias in pariendo Præſtitem daret? Quoties interclusâ ſibi atq; interdictâ quiete ſolidas noctes his officijs condonauit? quamuis contingebat aliquando, vt longâ expectatione (quod fit) defeſſa Princeps, corpuſculum in vile aliquod anguſti tugurioli ſtratum conijceret, vt ad manum laboranti, & eius aſpectum ſuſpiranti ſemper eſſet. Vidit hoc, vidit & audiuit Græcium, & auſim dicere, erubuit tantam in ſuâ Principe, tantâ cum charitate coniunctam animi demiſsionem. Vtere nunc igitur pro eximio virtutum illarum tuarum merito, Dianæ Bigis Archidux, ijs ad immortalitatem famæ vtere, cui nuper totidem verbis vero cum plauſu cantatam eſt, quod in Lucinam hymno ſuo Catullus effinxit;

Nulla quit ſine te domus *Liberos dare, nec parens* *Stirpe dicier.*